DE ASPIRATIONE VOCABVLORVM QVAE SVNT HAVD, HAVRIRE, HALARE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

SIEGFRIEDVS RVEHLE
GEDANENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH
MCMXIII

DISSERTATIO AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE REFERENTE THEODORO BIRT PROBATA EST A. D. XII. KAL. FEBRVARII A. MCMXIII.

Patris manibus
Matri carissimae
S.

Uniuscuiusque viri docti qui libris scriptorum antiquorum legendis atque perscrutandis operam dat grammaticorum praecepta quae antiqui scriptores et scribae secuti sunt cognoscere interest. Qua in disciplina summi momenti est perspicere quam aspirationem Romani, cum vocabula enuntiarent atque scriberent, adhibuerint. De hoc litterarum genere Birt vir doctissimus in libro qui inscribitur: Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration bis zum 10. Jhd. nach Chr. (Marburgi a. 1901) uberius egit et tria aspirationis Latinae genera discrevit.

Vera *h* littera quam Birt *h* forte nominat initio consonans erat;[1]) sed haec gravitas litterae *h* paulatim a poetis Latinis atque maxime ab Ennio poeta qui exemplaria Graeca imitari studebant submota atque *h* consonans signo aspirationis linguae Graecae adaequatum est.[2]) Vulgo tamen, quamquam Varro doctissimus ille grammaticus postulabat, ut homo sermonis Latini peritus aspiratione Graeca uteretur,[3]) semper littera *h* in consonantibus numerabatur.[4]) Saepissime autem in iis vocabulis in quibus aspirationem auditam esse constat littera *h* a scribis omittebatur. Quod saepe eo factum est quod Romani Graecos imitabantur quos spiritum asperum saepe non scripsisse notum est. Sed haud raro hoc '*h* omissum' etiam a falsa quadam verborum origine ortum est.[5]) Contra aliis vocabulis falsam aspirationem additam esse videmus. Nam *h* forte in lingua

1) v. Der Hiat eqs. p. 120—121.
2) v. Der Hiat p. 84—85; 135—138.
3) v. Der Hiat p. 114.
4) v. Der Hiat p. 115.
5) v. Der Hiat p. 144.

Latina tanta erat vi, ut complura verba quae initio aspiratione carebant *h* litteram accipere cogeret.[1]) Quod *h* spurium saepe antiquum et iam a Plauto nonnusquam scriptum esse constat.[2])

Quibus expositis plurimum interesse apparet rectam verborum originem cognoscere, cum inde concludi possit utrum vocabulum de quo agitur genuina an falsa aspiratione utatur. Viros doctos quos originem indagantes valde inter se dissentire constet de aspiratione idem sentire verisimile non est. Inprimis in contentione ponitur utrum *haud* particula et *haurire*, *halare* verba cum aspiratione incorrupta atque genuina scribantur an his vocabulis postea *h* spurium additum sit. Cum hac de quaestione uberius agere mihi proposuerim, e lectionibus quae reperiuntur in inscriptionibus, in glossariis, in antiquis codicibus qui scriptorum Latinorum libros exhibent incorruptam scripturam cognoscere studebo. Qua dissertatione ad cognoscendam aspirationem Latinam quam Birt vir doctissimus in libro cuius supra mentionem feci summatim exposuit nonnulla spero allatum iri.

---

1) v. Der Hiat p. 150.
2) v. Der Hiat p. 122.

I. De haud particulae aspiratione agitur.

1. De negationis origine quid viri docti scripserint explicatur.

Priusquam ad rem ipsam accedo et de *haud* lectionibus ago, paucis quid viri docti de vocabuli origine scripserint exponam; qua in re summi momenti esse puto qui v. d. negationem falsa qui recta aspiratione uti dixerint.

Nonnulli v. d. originem particulae quam propriam esse linguae Latinae constet investigari posse negaverunt et hanc quaestionem in dubio relinquendam esse contenderunt.[1]) Reliquorum alii aliter vocabuli originem indagant, ut diversae sententiae nobis occurrant.

Quorum primus Corssen aspirationem genuinam atque ad vocabuli originem investigandam summi momenti esse contendit. In libro qui inscribitur: Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache (1868 [2]) I p. 205 *haud* tribus e partibus constare dicit. Postquam egit de secunda et tertia vocabuli parte *au-d* quibus sensum *hinweg*, *abseits eben*, i. e. *nicht eben* inesse putat, haec verba facit: »Das anlautende *h* vor *h-au-d* ist der Rest des demonstrativen Pronominalstammes *ho* von *hi-c*, *hae-c*, *ho-c*, der zu *h* abgestumpft erscheint in *h-or-nu-s*, entstanden aus **ho-ior-nu-s* „diesjährig.“ Nach dieser Erklärung bezeichnet also *h-au-d* „dies nicht eben, dies nicht gerade.“«

1) v. Fr. Siegismund, De haud negationis apud priscos scriptores usu. Diss. Lips. 1883 p. 1; Planer, De haud et hautquaquam negationum apud scriptores Latinos usu. Diss. Jen. 1886 p. 1; Habich, Observationes de negationum aliquot usu Plautino. Diss. Hall. 1893 p. 13.

Neque aliter Thurneysenum de aspiratione quae particulae addita est iudicare apparet, quamquam eum aliam originis explicationem afferre videmus. Qui v. d. *haud* ex *haudum* ortum esse contendens haec explicat:[1])

„Es (*haud*) kann, da es sich immer eng an ein folgendes Wort anschließt, aus ˣ*haudum* verkürzt sein, wie *non* aus *noenum*, *noenu*, *nihil*, *nil* aus *nihilun*, *vendere* aus *venum dare*. Dann fügt es sich von selbst als altes neutrales Adjektiv ˣ*hauidum* oder ˣ*hāuidum* zu kelt. *gāu̯-* in air. *gáu gó* (Gen. *gue*, D. A. *gói*) 'Unrichtiges, Lüge', mkymr. *geu* (aus akymr. ˣ*gou*) nkymr. *gau* korn. *gow* 'Falschheit', (im Gegensatz zur 'Wahrheit'), 'Lüge', mbret. *gou*, nbret. *gaou* 'tort, mensouge'. Die britannischen Wörter sind männlich, die irische Flexion weist auf einen weiblichen *a*-Stamm. Die einleuchtende Verknüpfung ist die mit griech. *χάος*, auch mit *χαῦνος* 'locker, leer, eitel' (Fick-Stockes II⁴ 108; Henry Lex. Etym. du Breton Mod s. v. *gaou*), vielleicht mit *καυχᾶσθαι*.

Lat. *haud* mit dem von ihm negierten Wort bildete also ursprünglich ein Sätzchen für sich. Ein Ausdruck wie das Ennianische: Ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei hätte einst bedeutet: 'jener Mann — unrichtig (ist oder wäre) mit großem Vermögen — aber voll Treue'. Doch ist das Sätzchen schon in der vorliterarischen Periode zum bloßen Satzglied geworden, wie in den von Wackernagel Verm. Beitr. zur griech. Sprachkunde 23 ff. verzeichneten Fällen. *Haud* hat sich aber etwas anders entwickelt als sein Korrelat *uerum* ib. 23."

Quam ad sententiam Walde[2]) accedit qui ea quae paulo antea (ed. princ. 1906 p. 36) defenderat falsa esse dicit.

Reliqui v. d. qui de hac quaestione egerunt, quamquam omnino non eadem ratione negationis originem declarant, una in re inter se consentiunt: fere omnes particulae aspirationem

---

1) v. Indog. Forschungen XXI (1907) p. 179.

2) Lat. etymol. Wörterbuch (1911 ²) p. 361.

falsam et, cum postea addita esset, ut *haud* particula ab *aut* coniunctione distingueretur, ad originem indagandam nullius momenti esse dixerunt; sunt etiam qui de aspiratione verba non fecerint, quos hanc sententiam esse secutos concludi potest.

Multi v. d. *haud* a stirpe quae in *οὐδέ* vel *οὐ* Graeca negatione comparet derivatum esse putant; quam opinionem iam apud veteres grammaticos velut Charisium et Marium Victorinum[1]) reperimus. Recentiorum v. d. primus R. Klotz[2]) hac ratione particulae originem recte declarari contendit. Deinde Osthoff[3]) ad hanc sententiam accessit; denique Horton-Smith[4]) uberius hanc quaestionem perscrutatus est et particulam quae postea fuerit *haud* antiquissimis temporibus *au* fuisse verisimillimum esse explicavit; quam negationem a Graeca *οὐ* derivatam esse apparere.

Quae originis explicatio quin alicuius momenti sit dubitari non potest. Nam multi v. d. *haud* cum *οὐ* Graeca voce cohaerere putaverunt, quamquam probatam hanc sententiam non esse concesserunt (velut Prellwitz,[5]) Persson,[6]) Brugmann[7])); item Stolz[8]) hac ratione sola negationis originem declarari posse contendit neque aliter Walde[9]) quem in altera editione Thurneysenum secutum esse vidimus in principi editione iudicavit.

Nonnulli autem v. d. *haud* ex aliis linguae Graecae vocabulis derivatum esse existimaverunt. Handius[10]) *α* privativum

---

1) Gramm. Lat. ed. H. Keil I p. 112 et VI p. 15.

2) M. Tulli Ciceronis disputationes Tusculanae, p. 173; 232.

3) v. Hübschmann, Das indog. Vokalsystem (1885) p. 191.

4) American Journal of Philology XVIII (1897) p. 43—69: The origin of Latin *Haud* and Greek *οὐ*.

5) Etym. Wörterbuch der griech. Sprache (1892) p. 232.

6) Idg. Forschg. II 204 a.

7) Griech. Grammatik (1890²) p. 189 et: Die Demonstrativpronomina d. idg. Sprachen (Abhdl. d. Kgl. Sächs. Ges. d. Wiss. XXII p. 120).

8) Historische Grammatik d. lat. Sprache (1894) I p. 343.

9) Lat. etym. Wörterbuch (1906) p. 36.

10) Tursellinus seu de particulis Latinis commentarii, vol. III p. 15.

et *haud* inter se cohaerere contendit, quamquam aspirationem cum ipso vocabulo natam esse credit; dicit enim *au* etiam cum aspiratione in multis verbis ex *a* mutatum esse. Denique afferenda sunt quae R. Stuerenberg[1]) profert qui *haud* particulam eodem modo quo *aut* coniunctionem ex *α* privativo et ex *ut* ortam esse et discernendi causa *h* litteram accepisse putat. Item Fowler[2]) negationem ex *aut* coniunctione quacum initio congruerit ortam esse et falsa cum aspiratione scribi dicit.

Sed his originis explicationibus omnibus non declaratur cur *haud* nunquam in interrogationibus legatur. Quod cum perspexerit Birt aliter vocabuli originem declarandam esse putavit. Qui v. d. hac de quaestione agens haec verba facit:[3]) „Das *h* verstummte leicht und wird vielfach garnicht geschrieben. Das *h* in *haud* mag wie in *halare, haurire* unecht, das übrig bleibende *avd* aber mittelst Ausschaltung aus *ab-id* zusammengeschlossen sein, so daß das Demonstrativ *id* an die Praeposition *ab av* in der Weise getreten wäre, wie in *postid*. Und als erster Wortsinn würde sich etwa „weg damit“ herausstellen. So wird begreiflich, daß dieses *haud* niemals im Fragesatz Platz hatte, es schließt jeden Zweifel aus. Man schrieb *haud*, wie die Grammatiker uns sagen, mit *h* um den Unterschied von *aut* zu markieren; auf die Schreibungen ohne *h* ist somit Wert zu legen, sie sind von jener Theorie unbeeinflußt. Der Unterschied zwischen *aut* und *haud*, dessen *h* unecht, bestand ursprünglich darin, daß in ersterem das *t*, in letzterem *d* etymologisch richtig war. Als *haut* aufkam, wurde die Schreibung des *h* um so nötiger. Die Idealschreibung würde somit *aud* sein, die sich aber seltener als *haud, haut* und *aut* erhalten hat.“ Hanc sententiam praeterea in libro qui inscribitur: Der Hiat bei Plautus und die lat. Aspiration eqs. exprimit atque haec dicit (p. 215): „*Aud* für *haud*,

1) in editione Ciceronis librorum de officiis (1834).

2) The Negatives of the Indo-European Languages, diss. Chicago 1896.

3) Sprach man *avrum* oder *aurum*? mus. rhen. suppl. LII p. 154.

wo immer wir es lesen, ist nicht aus Verstummen des unechten *h*, sondern als Rest der ersten Aussprache zu deuten."

Quam ad sententiam accedens Lindsay[1]) *haud* cum *awe-*, *away*, verbis liguae Indogermanicae quae dicitur cohaerere contendit et *aud* scribendum esse dicit. Mihi quoque perscrutanti omnia quae v. d. de particulae origine scripserunt Birtii sententia quam ipsius viri doctissimi verbis explicavi optima esse et proxime ad verum accedere videtur.

Iam vero viros doctos valde inter se dissentire vidimus utrum aspiratio quam *haud* particulae additam esse videmus falsa sit necne. Quae cum ita sint operae pretium esse mihi videtur hanc quaestionem perscrutari et subtiliter explicare quomodo *haud* in inscriptionibus, in glossariis, in codicibus qui scriptorum Latinorum libros continent scriptum sit.

2. De haud particulae lectionibus agitur.

Ab antiquissimis linguae Latinae monumentis oriens initio agam de *haud* negationis lectionibus quas in carminibus epigraphicis[2]) legimus. Quibus in inscriptionibus semper aspiratum est: c. 52 v. 2: *hau*; c. 54 v. 4: *haud*; c. 279 v. 12: *haut*; c. 655 v. 1: *haud*; c. 686 v. 4: *hau*; c. 698 v. 1: *haut*; c. 1139 B v. 2: *haud*; c. 1197 v. 2: *haut*; c. 1504 A v. 8: *haud* legitur. Antiquissimis temporibus — c. 52 aetatis Gracchanae, c. 54 Sullanae esse Buecheler annotavit — *h* spurium diligentissime additum esse videmus; quod Plauti quoque temporibus scriptum atque auditum esse Birt dicit.[3]) Item in inscriptionibus quas Buecheler aevi Antoniani (c. 1197; c. 1504), saeculorum p. Chr. n. quarti (c. 279; c. 655), quinti (c. 686), sexti (c. 698) esse dicit aspiratio legitur. Quo saeculo c. 1139 B scriptum sit investigare non potui, sed apparet inscriptionem Augusti aevo recentiorem esse, cum Caesar-

1) The Latin Linguage p. 616.
2) Carmina epigraphica coll. F. Buecheler, Lips. 1889.
3) Der Hiat bei Plautus p. 74 et 122.

augustam, Hispaniae oppidum, in quo reperta est ab Augusto conditam esse constet.

In indicibus qui inscriptionibus Latinis[1]) additi sunt nusquam particulae mentio facta est nisi iis locis quos e Buecheleri carminibus epigraphicis exscriptos supra attuli.

Contra in codicibus qui scriptorum Latinorum libros exhibent negatio multo saepius nobis occurrit.

Primum de Vergilii codicibus in quibus antiquissimos et optimos esse constat mihi agendum est.

Quamquam nusquam omnes codices genuinam particulae lectionem praebere videmus, tamen nonnullis locis omnibus in codicibus aspiratio deest, ut verisimillimum sit hanc lectionem fuisse in libro archetypo. Summi momenti Eclog. III 110 videtur mihi esse ubi in codicibus[2]) R (= Vaticano saec. IV), γ (= Gudiano saec. XI), a (= Bernensi saec. X), b (= Bernensi 165 saec. IX), c (= Bernensi 184 saec. IX) qui hunc versum praebent *aut* scriptum est. Item Georg. II 124 in codicibus M (= Mediceo saec. IV vel V) γ b haec lectio extat; recentior quaedam manus codicis b aspirationem addidit et in codicibus a et c *haud* legitur. Sed in codice Bobiensi nunc Vindobonensi 16 saec. VII vel ineuntis VIII (B) qui Probi libros de ultimis syllabis continet[3]) ubi Vergilii locus adfertur particula aspiratione caret (inst. I 17, 4); quam lectionem in Nonii quoque libro archetypo (p. 241, 24)[4]) fuisse cognoscitur, cum p. 418, 17 aspiratum sit. Quae cum ita sint, in libro archetypo negationem aspiratam non fuisse apparet. Porro Georg. II 265 in codicibus P (= Palatino bibl. Vatic. saec. IV vel V) R b *h* littera deest; in codice M recentior correctoris

---

1) Corpus inscriptionum Latinarum consilio et auctoritate academiae litterarum regiae Borussicae editum.

2) cf. O. Ribbeck, proleg. critic. ad P. Vergili Maronis opera maiora, Lips. 1866 (cap. XI et XIII).

3) cf. Gramm. Lat. ex rec. H. Keilii vol. IV praef. p. 1 sq.

4) cf. Nonii Marcelli Compendiosa doctrina, ed. L. Mueller, Lips. 1888; de codicibus uberius actum est in Adversariorum Nonianorum cap. V.

manus aspirationem addidit, ut ^{h}*aut* legamus; item in b secunda manus *aut* lectionem corrupit. Denique Aen. IV 439 omnibus in codicbus (MP γ a b c) *aut* extat.

Praeterea nonnusquam in binis codicibus antiquis *haud* aspiratione caret, cum in reliquis *h* spurium additum sit:

In codicibus R et M: Aen. I 672 ubi in utroque codice ^{h}*aut* legitur; IV 149 ubi in M ^{h}*aut*, in R *aut* extat; quae scriptura in Nonii codice Lugdunensi saec. IX (L) invenitur (p. 387, 2). In reliquis codicibus et Vergilii et Nonii particula aspiratur.

In codicibus R et P: Aen. VIII 370; quam scripturam secunda manus codicis R in ^{h}*aut* corrupit; in γ *aut* extat et prima manus codicis c *ad* pro *aud* scripsit. In reliquis Vergilii libris manuscriptis aspiratio legitur. Sed in antiquissimo codice Prisciani[1] qui hunc versum affert (p. 546: I 20) *aut* extat, quamquam in codicibus GLK saeculi noni *haut* et in reliquis *haud* invenitur.

Paulo saepius in uno codice antiquo *haud* aspiratione caret, cum in reliquis aspiratum sit:

In M solo *aut* extat: Aen. X 732 ubi Nonius qui versum affert (p. 286, 26) *haud* vel *hau* tradit; saepissime ^{h}*aut* in M nobis occurrit: Aen. I 335; 387 (^{h}*aud* [corr. minio]); III 214 (*h* rubra); 236 ubi aspiratio in margine addita est et Prisciani (p. 1026 (XVI, 2) et p. 1041 (VII, 1) atque Probi (inst. II 1, 41) codices qui versum afferunt aspirationem praebent; V 284; 749 (*h* in margine additum est); X 494; 663; 735; 737; 907; XI 688; XII 25 quem versum Nonius bis affert: p. 319, 28 ubi *haud* vel *haut* legitur; p. 385, 22 ubi prima manu codicum Gen et L *aut* scriptum est, ut hanc lectionem in libro archetypo fuisse appareat; item in Prisciani (p. 699 [VI, 47]) codicibus D et K aspiratio deest, in reliquis addita est; 227; 506.

In P solo *aut* legitur: Aen. I 327; VII 781 ubi recentior manus aspirationem addidit.

1) cf. Gramm. Lat. ex rec. H. Keilii vol. II praef. p. X—XIX; XXI—XXIII.

In R solo *aut* scriptum est: Eclog. III 110; Aen. VIII 49 ubi secunda manu aspiratio addita est; XI 441; XII 649 quem locum Priscianus (p. 1127 [XVIII 31]) affert cuius in codicibus particula aspiratur, praeterquam quod in R saec. IX *ita ut* extat. Praeterea Aen. V 399 et VI 263 *ʰaut* legitur.

De lectionibus reliquorum codicum quos deteriores esse constat breviter agendum est.

In codice γ *aut* saepissime traditum est: Eclog. III 110; Georg. I 122; 299; II 124; III 41 ubi in Nonii codicibus L H G Gen saec. IX vel X (p. 347, 1) aspiratio deest, ut hanc lectionem in libro archetypo fuisse appareat; 357 ubi secunda codicis manus *aut* in *aud* correxit; IV 455 ubi in Prisciani codicibus (p. 986 [XIV 25]) aspiratum est; Aen. IV 439; V 56; VII 370; 654; X 128; 153 ubi in Nonii libro archetypo (p. 311, 17) *aut* legebatur; 663 ubi secunda manus *h* spurium addidit; XII 45. Praeterea Aen. VII 381 secunda manus *aud* scripsit ubi γ 1 non liquet.

In codice b *aut* extat: Eclog. III 110; Georg. II 83 ubi secunda manus *ʰaud* praebet; item in codice B qui Probi librum de ultimis syllabis continet (inst. I 9, 11) non aspiratum est; II 124; 265 quibus locis secunda manus aspirationis defectum improbavit (*ʰaut*); Aen. IV 439; X 494 ubi secunda manu *h* littera addita est; XI 701; XII 506. Bis *ʰaud* legitur: Aen. VI 263; VII 203.

In codice c *haud* aspiratione caret: Eclog. III 110; Aen. III 214 (*aud*); IV 439; VIII 370 ubi prima manus *ad* pro *aud* scripsit, secunda *haᵘd*; 414 (*Aud*); IX 797 (*Aut*); X 360 (*Aud*). Accedunt Aen. VI 239 et VII 203 ubi *ʰaud* scriptum est.

In codice a genuina lectio extat: Eclog. III 110; Aen. III 236 (*Aud*); IV 439.

Denique nonnulli loci quibus in Vergilii codicibus aspiratio legitur a grammaticis laudantur:

In Nonii Compendiosa doctrina afferuntur: Aen. II 396: p. 143, 31 ubi *haut* extat; V 332: p. 182, 10 ubi in codice

L *aut*, in reliquis *haut* legitur; V 592: p. 331, 13 ubi codex L *aut* exhibet, cum reliqui *haut* vel *haud* praebeant; VI 239: p. 14, 14 ubi omnibus in codicibus aspiratio addita est; VIII 642: p. 265, 24 et p. 284, 22 quibus locis in codicibus quotquot sunt *aut* scriptum est; XII 9: p. 22, 20 ubi in codice L *aus* pro *aut* vel *aud*, in reliquis *haud* extat.

In Prisciani libris afferuntur: Aen. V 140: p. 906 (X 51) ubi aspiratur; V 332: p. 869 (IX 49) ubi omnibus in codicibus *h* spurium additum est et p. 926 (XI 26) ubi in GLK saec. IX *aut*, in reliquis *haud* legitur; X 752: p. 1173 (XVIII 182) ubi in codice R saec. IX *aut* extat, cum in reliquis aspiratum sit.

In Probi institutis afferuntur: Aen. VIII 478: inst. I 9, 3 ubi in codice B saec. VII vel VIII qui solus hunc Probi librum exhibet *aut* invenitur; X 276: inst. I 10, 2 ubi in B aspiratio legitur.

Ut ea quae pluribus verbis explicavi facilius perspiciantur, quotiens *haud* in unoquoque Vergilii codice extet, quotiens aspiratione careat, quotiens lectiones quae sunt ^{h}*aud* et ^{h}*aut* inveniantur exponam; praeterea ostendam quotiens particula, si centies in his codicibus legeretur, sine aspiratione scripta esset.

Negatio de qua agitur 120 locis apud Vergilium nobis occurrit. In antiquissimo codice F (= schedis Vatic. 3325 saec. III) qui particulam 108 locis praebet nusquam aspiratio deest; item in codice G (= schedis Sangallensibus antiquissimis) in quo negatio 6 locis extat.

Saepius in codicibus saec. IV et V aspiratum non est: in M qui vocabulum 119 locis praebet ter (2,52 $^0/_0$); in P qui negationem 111 locis exhibet quater (3,603 $^0/_0$); in R in quo particula 102 locis legitur octies (7,84 $^0/_0$). Quibus lectionibus ^{h}*aud* et ^{h}*aut* scripturae addendae sunt quas ex genuina negationis lectione ortas esse apparet, ut particulam saepe aspiratione carere cognoscatur: in M in quo ^{h}*aud* vel ^{h}*aut* 18 locis legitur 17,64 $^0/_0$; in P in quo semel extat 4,545 $^0/_0$; in R in quo bis invenitur 9,80 $^0/_0$.

Iam vero saepissime in codice γ in quo *haud* 119 locis legitur *h* spurium deest: 16 locis (13,44 %); quo in codice *^{h}aud* et *^{h}aut* scripturae non inveniuntur. In reliquis codicibus saec. X vel XI particula fere totiens quotiens in codicibus saec. IV vel V sine aspiratione scripta est: In a qui negationem 48 locis exhibet ter (6,25 %), in b in quo vocabulum 120 locis legitur octies (6,66 %); in c qui particulam 120 locis praebet septies (5,83 %). Si *^{h}aud* et *^{h}aut* lectiones quae in codice a non extant addimus aspiratio paulo saepius deest: in b in quo *^{h}aud* bis invenitur 8,33 %; in c qui *^{h}aut* bis praebet 7,5 %.

Quibus causis effectum sit, ut particula de qua agitur in nonnullis codicibus antiquis et in recentioribus saepe aspiratione careat, cum in antiquissimis codicibus F et G semper *h* spurium additum sit, pro certo me demonstrare posse puto. Apparet enim eos qui codices F et G scripserunt diligentissime praecepta grammaticorum Latinorum secutos esse. Qui grammatici *haud* cum aspiratione scribi iubebant, ut ab *aut* coniunctione distingueretur.[1]) Quod in codicibus MPR et in recentioribus nonnullis locis aspiratio deest, genuinam lectionem in libro archetypo fuisse concludendum est: quam in alteris codicibus quorum scribae grammaticorum doctrinam diligentissime sequebantur corruptam et in *haud* vel *haut* mutatam, in alteris — saepe in uno solo — servatam esse videmus. Verisimile esse mihi videtur codicum scribas saepe eos locos quibus genuinam lectionem ex libro archetypo descripserunt non percepisse et hac de causa aspirationem non addidisse. Nonnusquam eos negationem cum *aut* coniunctione commutasse facile cognoscitur, velut Eclog. III 110 ubi *aut—aut* omnibus in codicibus (R γ abc) scriptum est. Sed utut res se habet apparet codicum scribas genuinam lectionem quam nobis tradiderunt ex libro archetypo sumpsisse.

1) Probus in inst. art.: Gramm. Lat. ex rec. H. Keilii vol. IV 145,9; Cledonius in arte: vol. V 74, 27; Phoca grammaticus in libro de aspiratione: vol. V, 441; Cassiodorius in libro de orthographia: vol. VII 158, 20; Albinus in orthographicis: vol. VII 303, 3; orthographia Bernensis I: suppl. 294, 1; orthographia Einsidlensis: suppl. 299, 3.

Conatus quidem sum indagare quibus in provinciis vel terrae regionibus scribae codicum in quibus saepe aspiratio deest vixerint, ut hanc negationis lectionem huius regionis propriam esse dicamus. Sed raro vel paene nunquam id quod volebam assecutus sum. Sic de regionibus iu quibus Vergilii libri manuscripti orti sunt nihil cognosci potest; ceterum constat hos codices omnes ex uno libro archetypo descriptos esse.[1]) Recentiores quoque codices antiquissimis proximi sunt et ex illis vel simillimis hausti esse videntur.[2]) Accedit quod Ribbeck in prolegomenis criticis nusquam exposuit quibus in regionibus codices scriptos esse putet, quamquam uberius de scriptura et ratione egit.

Praeterea antiquissimus unus codex inter libros manuscriptos est qui Plauti fabulas continent.[3])

Quibus de codicibus breviter agere mihi liceat:[4])

I.

A = cod. Ambrosianus G 82 palimpsestus saec. IV.[5])

II. P = libri Palatini:

B = cod. Palat. Vatic. 1615 saec. X vel XI, 'vetus' Camerarii.

C = cod. Palat. Heidelbergensis saec. XI in., 'decurtatus' Camerarii qui XII fabulas inde a Bacchidibus continet.

D = cod. Vatic. 3870 saec. XI, Ursinianus, qui easdem fabulas ac C exhibet praemissis Amphitruone, Asinaria, Aulularia, Captiv. v. 1—503.

---

1) v. Ribbeck, proleg. crit. (Lips. 1866) p. 258.

2) Proleg. crit. p. 320 (de γ); p. 329 (de a); p. 333—337 (de b et c).

3) Editione usus sum Fr. Ritschelii quam G. Loewe, G. Goetz, Fr. Schoell curaverunt, Lips. Teubn. 1878—1893; praeterea nonnusquam annotationes criticas quas Fr. Leo in editione fabularum (Be., apud Weidm. 1895/96) addidit afferam.

4) v. praemonita quae Ritschl addidit volumini primo editionis quam curaverunt Goetz, Schoell, Loewe (Teubn. 1884); praeterea praefationem quam Leo editioni praemittit vol. I p. VIII.

5) De particulae lectionibus quae in hoc codice extant Studemund in libro qui inscribitur: T. Macci Plauti fabularum reliquiae Ambrosianae uberius egit.

III. Accedunt hi codices:

V = Leidensis Vossianus Q 30 saec. XII in. qui Aulularium inde a v. 190, Captivos, Curculionem, Casinam, Cistellariam, Epidici v. 1—244 continet.

E = Ambrosianus J 257 inf. saec. XII ex. vel XIII qui octo fabulas priores exhibet.

J = Londinensis musei Britannici $\frac{15\ C}{11}$ saec. XI vel XII qui octo fabulas priores continet.

In Plauti fabulis *haud* 299 locis legitur. In codice antiquissimo, Ambrosiano saec. IV vel V, vocabulum ter aspiratione caret: Mil. gl. 1400 (*aud*); Pseud. 654 (*aud*); Trin. 362 (*aut*); accedunt fortasse Men. 589 ubi *au* (Leo: *ait*; scriptura enim corrupta est) et Rud. 222 ubi *au* extat quod pro *aut* vel *aud* scriptum esse verisimile est. Sed idem codex etiam pro particula *aut* („oder") plus semel *haut* offert (Birt: Sprach man *avrum* p. 154).

Contra in codicibus Palatinis particula saepe sine aspiratione scripta est; quorum codicum e consensu lectionem libri archetypi deperditi P qui saeculo octavo scriptus erat cognoscitur. Vicies sexies *haud* in P aspiratione caruisse apparet: Men. 333; 985; Merc. 386; Mil. gl. 11; 95 (*audiu* CD[1]; *aut diu* B); 145; 702; 872; 943; 1400; 1427; Most. 124; Pers. 11; Pseud. 215 ubi in D secunda manus aspirationem addidit (*haud*); 1222; Rud. 190; 266; Stich. 59; 716; Trin. 721; Truc. 161; 176; 194 ubi in B *aua* in *aut* correctum est; 474; 657 ubi in B *au* extat; 888 (B: *au*). Praeterea tribus locis in libro archetypo ex quo P descriptus est aspirationem defuisse puto: Poen. 1355 ubi in codicibus BCD *adversum quidem* pro *aud verbum quidem* legitur; Truc. 321 ubi in BCD *ad* pro *aud* extat; 926 ubi *aufero* pro *aud ferro* vel *aut ferro* scriptum est. Accedunt duo loci: Curc. 171 et Epid. 688 quibus in B non aspiratum est; sed cum reliqui codices Palatini desint, pro certo dicere non possumus genuinam lectionem fuisse in libro archetypo.

Nonnullis autem locis e scriptura codicum Palatinorum cognosci omnino non potest quae fuerit libri archetypi lectio;

velut Poen. 572; Rud. 658; Truc. 143 quibus locis codices CD *aut* praebent, cum in B aspiretur; item Trin. 584 ubi in CD *addere* pro *aud dare,* in B *haddere* extat.

Porro semel atque iterum in uno codice Palatino solo *haud* aspiratione caret:

In B: Bacch.. 344 (sed in margine eadem manus addidit *haud*); Mil. gl. 293; 381; 629 quibus locis secunda manus aspirationem addidit; 1000; 1041 ubi *ut* pro *aut* legitur; 1047; Most. 791; Pers. 217 ubi particula quae hoc loco bis extat semel sine aspiratione (*aud*), semel cum aspiratione (*haud*) scripta est; Poen. 737 (*aud*); Rud. 216; Truc. 109.

In C: Bacch. 159; 853 (*aud*); Men. 201 (*Aud*); 501 ubi secunda manu *h* spurium additum est. (*haut*).

In D: Men. 201 ubi *Apud* pro *Aud* (corr. Db) legitur; Rud. 939[b] (*aud*).

In recentioribus codicibus nonnusquam aspiratio deest:

In E: Amph. 185; 312 ubi *h* prima manu postea praefixum est; 348; 1124; 1142; Asin. 114; 388; Capt. 357; 402; 561 ubi *audivi di* pro *aud vidi* extat; 997 ubi *audax* pro *aud ex* legitur (cf. Birt, Der Hiat p. 150); Cas. 187; 192; Cist. 646; Curcul. 167 (*aud*); 171; 512 ubi *aumale* pro *aut male* vel *aud male* scriptum est; 698; 723; Epid. 688.

In V: Capt. 561 (*audivi di*); Curc. 512; 698.

In J: Amph. 312 (*aud*); Capt. 997 (*audax*); Cas. 200 ubi *vel haud* superscriptum est; Cist. 646.

Denique nonnulli Plauti versus quibus *haud* extat a grammaticis laudantur:

In Nonii Compendiosa doctrina afferuntur: Asin. 262 : p. 414, 19 ubi in codicibus quotquot sunt aspiratum est; Epid. 543 : p. 473, 12 ubi omnes codices *aut sicio an* pro *aut scio an* praebent; Poen. 1112 : p: 52, 24 ubi *non* pro *haud* scriptum est.

In Prisciani libris: Rud. 888 : p. 645 (inst. V 14) ubi in codicibus RH saec. IX vel X *aut,* in GL saec. IX *aud* extat; in reliquis aspiratio legitur.

In Gellii Noctium Atticarum libris: Poen. 1112 : XIII 30, 6 ubi item atque apud Nonium *non* invenitur.

Postremo liceat mihi omnia quae exposui breviter complecti. In antiquissimo codice A *haud* 99 locis legitur et quinquies aspiratione caret (4,03 %), quae lectio saepius in codicibus Palatinis extat: in B in quo negatio 295 locis nobis occurrit 45 locis (15,25 %); in C qui vocabulum 213 locis exhibet 36 locis (16,90 %); in D in quo particula 228 locis legitur 33 locis (12,22 %) aspiratio deest. In reliquis codicibus qui saeculo XII scripti sunt raro non aspiratur: in V qui vocabulum 45 locis praebet 3 locis (6,25 %), in J in quo particula 76 locis extat 5 locis (6,17 %); verum in E qui negationem 82 locis exhibet saepissime (20 locis) *h* spurium omissum est (24,39 %).

Quibus causis effectum sit, ut *haud* in his codicibus saepe sine aspiratione scriptum sit supra explicavi, cum agerem de vocabuli lectionibus quae in Vergilii codicibus reperiuntur. Verisimile esse mihi videtur in his particulae lectionibus genuinam scripturam cognosci quae contra grammaticorum praecepta ex antiquissimis codicibus servata est.

E regionibus in quibus codices scripti sunt variae lectiones declarari non possunt, cum omnibus in codicibus negationem et cum aspiratione et sine aspiratione scriptam esse videamus. Codices Palatinos[1]) in Germania scriptos esse constat; de reliquis quibus in regionibus scripti sint nusquam explicatur.

Summi momenti lectiones quae extant in codicibus qui glossaria Latina continent[2]) esse mihi videntur.

Quibus in glossariis vocabulum de quo agitur saepe aspiratione caret. Harum lectionum eas magni momenti esse puto in quibus glossa sub A littera inserta est neque dubium esse potest, quin is qui glossarium scripsit *aut* particulam

1) v. Ritschelii praef. ad Trinummum (1884) p. XI—XIII.

2) Corpus glossariorum Latinorum a G. Loewe incohatum comp. rec. ed. G. Goetz. vol. II—VI. Lips. 1888—99.

quam in codicibus antiquis legit declarare velit. In glossis 'Ab absens' quae in codice Leidensi 67 F saec. VIII vel IX [1]) et in quinque libris saec. IX vel VIII leguntur negatio tantum sub A littera affertur: vol. IV p. 406,42: *Ausecus non aliter sed verum*; p. 406,43: *Aut procul non longe.* Duo codices quorum alter saec. IX, alter saec. VIII est uno loco *Aut* lectioni *h* spurium addiderunt et eam in *Haud* corruperunt, quamquam sub A littera de particula agitur. Unde apparet eos qui hos codices scripserunt negationem aspiratione carentem aut improbasse aut adeo incognitam habuisse.

Aliis in glossariis *haud* et sine aspiratione sub A littera et cum aspiratione sub H littera legitur. In glossis codicis Vaticani 3321 saec. VII—VIII [2]) negatio bis aspiratione caret et sub A littera affertur: vol. IV p. 23,17: *Auttetus non aliter*; p. 23,24: *Aut submotum longe,* cum vocabulum sedecies aspiretur et sub H littera scriptum sit; quae glossae sub A littera leguntur eisdem verbis vel saltem eadem verborum vi sub H littera repetitae sunt: cf. vol. IV p. 23,17 cum p. 84,51: *Haud secus non aliter*; vol. IV p. 23,24 cum p. 84,52: *Haud non non.* Praeterea hae glossae quae sub A littera scriptae sunt in codice Vaticano solo extant quem omnium codicum qui has glossas continent antiquissimum atque optimum esse constat [3]); insuper secunda codicis manus aspirationem addidit, quamquam vocabulum sub A littera insertum est (p. 23,24); quibus e rebus concludo *aut* lectionem iis qui quattuor codices recentiores [4]) saeculo IX vel X ex Vaticano descripserunt et etiam ei qui glossam corrigere voluit notam non fuisse.

Porro in glossis codicis Leidensis 67 F saec. VIII—IX [5]) duplex particulae lectio sub A et H litteris inserta nobis

1) v. C. G. L. vol. IV praef. p. XIX—XXVI.

2) v. C. L. vol. IV praef. p. VII—VIII.

3) cf. quae de hoc codice scripserunt G. Loewe in Prodromo corporis Gloss. Lat. p. 143 et Willmanus, mus. rhen. XXIV (a. 1869) p. 381.

4) v. C. G. L. vol. IV praef. p. VIII—XIII.

5) v. C. G. L. vol. IV. praef. p. XIX—XXVI.

occurrit. Primum in glossis 'Abavus' vocabulum de quo agitur bis sub A littera : vol. IV p. 312,42 : *Aut non*; p. 312,48 : *Aut secus non aliter* et quinquies sub H littera legitur. Hoc quoque in glossario eadem glossa eisdem verbis sub litteris A et H scripta est : p. 312,42 = p. 348,30 : *Haut non.* Quae glossae omnes inveniuntur in quinque codicibus saec. IX qui glossas ex codice Leidensi descripserunt. Reliquarum codicis Leidensis 67 F glossarum in glossis 'Affatim' particula semel aspiratione caret et sub A littera legitur : p. 484,35 . *Aut immo,* cum novies aspiratio sub H littera extet. Quibus locis tres codices qui glossarium saeculo IX ex Leidensi descripserunt easdem lectiones praebent.

Haec quidem glossa (vol. IV p. 484,35) ad particulae significationem cognoscendam magni momenti est, cum negationi summam negandi vim inesse demonstret. Illis quae Birt de *haud* significatione exposuit[1]) haec quoque glossa addenda est. Ex his glossis particulam summam negandi vim habere cognoscitur : vol. II p. 68,24 : *Haud ουχι*; vol. II p. 335,30 : *Καθολου hautquaquam prorsus omnino penitus*; vol. II p. 389,6 : *Ουδενιτροπω . . aud quaquam nullatenus*; vol. IV p. 23, 24 : *Aut submotum longe* (quam glossam Birt l. l. affert); vol. IV p. 84,49 : *Haud sine dubio*; vol. IV p. 84,52 : *Haud non non*; vol. IV p. 406,42 : *Ausecus non aliter sed verum*; vol. IV p. 484,35 : *Aut immo*; vol. V p. 269,23 : *Aut immo.*

In glossis 'Affatim' vocabulum de quo agitur semel sub C littera affertur: vol. IV p. 491,9: *Chaut non.* Qua scriptura probari antiquis iam temporibus aspirationem auditam esse Birt explicavit.[2]) Conferenda est glossa quae vol. V p. 276,29 legitur ubi *haud* in glossario Amploniano secundo sub C littera invenitur : *Caut non.*

Denique in glossario Amploniano secundo quod in codice Amploniano 42 saec. IX[3]) traditum est negatio bis sub A

1) mus. rhen. LIV p. 233/34.
2) mus. rhen. LIV p. 202.
3) v. vol. V praef. p. XLII.

littera : vol. V p. 269,23 : *Aut immo*; p. 269,53 : *Aut secus nonaliter* et bis sub H littera legitur. Duae glossae etiam verbis inter se consentiunt : vol. V p. 269,53 = vol. V p. 299,32 : *Haut secus non aliter.*

Iam vero binis locis aspiratio deest, quamquam de *Haud* negatione sub H littera agitur: In glossis codicis Vaticani 3321 saec. VII—VIII : vol. V p. 85,21 : *Haud ospicato sine ospicio idest quod aut infurcunio*; quae glossa in Vaticano solo extat. In glossis Vergilianis quae in codice Leidensi 67 F saec. VIII—IX et in septem codicibus saec. VIII—IX leguntur : vol. IV p. 444,24 : *Hautliter aut secus non aliter*; quae lectio omnibus in codicibus extat.

Denique bis in glossis Graeco-Latinis quae in codicibus Harleiano 5792 saec. VII et Laudunensi 444 saec. IX in. traditae sunt[1]) aspiratum non est : vol. II p. 389,6 : *Ουδενιτροπω .. aud quaquam nullatenus*; quo loco in Harleiano lectio corrupta est, in Laudunensi (a) *haudquamquam* extat; vol. II p. 457,40 : *Τοσυνολον autquaquam prorsus* ubi in utroque codice vocabulum aspiratione caret.

Quibus e considerationibus concludendum est eos qui glossaria scripserunt in antiquis codicibus diversas particulae lectiones repperisse, alteram sine aspiratione quam sub A littera explicaverunt, alteram cum aspiratione de qua sub H littera egerunt; quae quin crebrior fuerit dubitari non potest.

Porro magni momenti esse mihi videtur glossas codicis Vaticani 3321 saec. VII—VIII in quibus *haud* aspiratione caret et sub A littera affertur in recentioribus codicibus qui saeculo IX ex Vaticano descripti sunt omissas esse; quarum uni a manu recentiore quae codicem corrigere voluit, quamquam sub A littera de *aut* particula agitur, aspirationem additam esse videmus. Dubitari non potest, quin genuina lectio ei qui codicis Vaticani glossarium scripsit ex codicibus antiquis nota fuerit; sed eos qui recentiores codices descrip-

1) v. C. G. L, vol. II praef. p. XX—XXVI.

serunt hanc scripturam in codicibus non repperisse apparet, cum has glossas quas non intellexerunt omiserint. Inde quod in recentioribus codicibus saec. IX qui glossas codicis Leidensis 67 F praebent particula de qua agitur semper eodem modo quo in codice Leidensi scripta est atque sub A littera affertur duobus exceptis codicibus saec. IX qui vol. IV p. 406, 43 *Aut* in *Haud* corruperunt, non sequitur, ut ea quae dixi falsa iudices. Nam recentiorum codicum scribas has glossas diligentius descripsisse neque, id quod fecerunt illi qui codicis Vaticani glossas descripserunt, codices inspexisse apparet.

Postremo quam brevissime exponam quotiens *haud* in codicibus uniuscuiusque saeculi legatur, quotiens sine aspiratione, quotiens cum aspiratione scriptum sit.

In antiquissimis codicibus (saec. VII) particula 8 locis extat et bis aspiratione caret: 25 %; in codicibus saec. VII —VIII qui negationem 19 locis praebent ter *h* spurium deest: 15,79 %; in codicibus saec. VIII in quibus particula 11 locis legitur ter non aspiratur: 27,27 %; in codicibus saec. VIII—IX negatio 40 locis invenitur et septies sine aspiratione scripta est: 18,42 %; in codicibus saec. IX qui *haud* 168 locis exhibent tricies aspiratio deest: 18,18 %. In recentioribus codicibus qui ter decies (saec. X) vel quater (saec. XII) particulam praebent semper *h* spurium legitur. In antiquis codicibus qui glossaria Latina continent saepius quam in recentioribus aspirationem deesse videmus, quamquam quantum forti tribuendum sit dubites.

E regionibus in quibus codices scripti sunt variae lectiones declarari non possunt, cum nesciamus fere ubi glossaria scripta sint. De paucis codicibus constat quibus in regionibus scripti sint: Harleianum 5792 saec. VII qui glossas Graeco-Latinas continet „apud Gallos olim fuisse“ ostenditur;[1]) porro Laudunensis 444 saec. IX in quo eaedem glossae extant in Gallia scriptus esse dicitur.[2])

1) C. G. L. vol. II praef. p. XXI.
2) C. G. L. vol. II praef. p. XXVI.

Duas glossas Vergilii verba afferre apparet: vol. IV p. 444, 25: *Haut tanto cessavit cardine rerum non cessavit iuno quominus noceat in tantarum rerum opportunitate* cf. cum Aen. lib. I v. 672:

. . . et vereor quo se Junonia vertant
hospitia; haut tanto cessavit cardine rerum.

quam glossam Vergilii versum explicare videmus; porro vol. V p. 459, 25: *Haut vatum inscius futurorum;* quae glossa indiligenter sive e memoria e Vergilii Aen. lib. VIII v. 627:

illic res Italas Romanorumque triumphos
haut vatum ignarus venturique inscius aevi
fecerat ignipotens . . .

sumpta esse mihi videtur.

In Terentii fabulis[1]) quas nunc perscrutaturus sum *haud* raro aspiratone caret.

Antiquissimum codicem Bembinum saec. IV vel V (A) diligentissime doctrinam grammaticorum secutum esse videmus, ut 75 locis quibus *haud* extat semper aspiratio legatur. Item in tribus codicibus recensionis Callioppii ex Donato correctae raro *h* spurium deest: bis in codice Decurtato saec. XI—XII (G): Andr. v. 772 (*[h]aut*) ubi in Prisciani codicibus GLK saec. IX quos ex uno fonte ductos esse constat *aut* legitur, cum in reliquis aspiratum sit; Heaut. v. 774 (*[h]audscit*). Utroque loco secunda manus aspirationem postea addidit, ut genuinam lectionem in libro archetypo fuisse cognoscatur. Sed reliquis locis (72) quibus *haud* legitur aspiratio extat, ut *h* spurium rarissime (2,27 $^0/_0$) deesse videamus. In codice Victoriano Faërni saec. X (D) qui *haud* 74 locis praebet semper aspiratio invenitur; codex Vindobonensis saec. X vel XI (V) vocabulum omnino non exhibet.

Contra in codicibus recensionis Calliopii genuina lectio paulo saepius nobis occurrit: semel in codice Parisino saec. X qui particulam 74 locis praebet: Heaut. v. 279 (1,35 $^0/_0$): *haud* ex *aut*; decies (13,51 $^0/_0$) in Vaticano scec. X in quo voca-

1) v. Umpfenbach ed. P. Terenti comoedias. Be. 1870; de codicibus agitur praef. p. I—XXV et LXVII—LXVIII; praeterea Philolog. XXXII (1873) p. 422 sq.

bulum 74 locis invenitur: Andr. v. 391; 460; 792; Eun. v. 235 ubi in Nonii codice L *aut* extat, cum in reliquis aspiratio legatur; Heaut. v. 175; 629 quae lectio in Nonii codice L quoque nobis occurrit; Pho. v. 265; 269; Hec. v. 258; 424; quibus locis omnibus secunda manus aspirationem addidit. Semel in codice Basilicano saec. X qui *haud* 73 locis exhibet aspiratio deest: Andr. v. 218 (1,37 %); quater (5,41 %) in Ambrosiano saec. X in quo negatio 74 locis extat: Heaut. prol. 24 (corrupit F^2); v. 668 ubi secunda manus *haud* superscripsit; v. 999; Hec. v. 814 (*aud*) quae lectia, cum locus corruptus sit, improbari potest. In codice Ricardiano saec. XI (E) semper (75 locis) aspiratio addita est.

Quibus e lectionibus in libro archetypo *haud* nonnusquam aspiratione caruisse cognoscitur. Verisimillimum enim est codicum scribas iis locis quibus aspirationem non addiderunt genuinam lectionem in libro archetypo invenisse quam reliqui qui hoc loco grammaticorum praecepta diligentius sequerentur immutaverunt. Accedit quod nonnusquam in Nonii quoque codice optimo (L) aspiratum non est.

In codice antiquo qui T. Livi ab urbe condita libros XXI—XXX continet[1]) *haud* paulo saepius sine aspiratione scriptum est.

In codice Puteano saec. VI qui particulam 271 locis praebet undevicies aspiratio deest (7,01 %): lib. XXI c. 49, 11; c. 56, 1; c. 63, 10 (*aud*); lib. XXII c. 12, 3; c. 12, 6; c. 16, 2; c. 18, 10; c. 25, 14; c. 26, 7; c. 28, 13; lib. XXIII c. 6, 8; c. 40, 3; c. 42, 13 (*atit* pro *aut*); c. 43, 6; lib. XXIV c. 3, 16; c. 5, 7; c. 8, 5 (*ut* pro *aut*); lib. XXV c. 1, 10; lib. XXX c. 28, 2. In codicibus recentioribus qui iis locis quibus P deest (lib. XXI c. 1—c. 41, 2 excepto capite 20 ubi in P *haud* legitur) adhibiti sunt vocabulum raro non aspiratur: bis (8,0 %) in codice Colbertino saec. XI qui particulam 25 locis praebet:

1) T. Livi ab urbe condita lib. app. crit. adiecto ed. A. Luchs, Be. 1888/89; de codicibus egit vol. III praef. p. V—VII; vol. IV praef. p. V—X.

lib. XXI c. 17, 7; c. 25, 4 (*ud* pro *aud*); semel (4 %) in Mediceo saec. XI in quo negatio 25 locis legitur: lib XXI c. 25, 4.

Mirum esse mihi videtur quod codex Puteanus in libris XXI—XXV saepe genuinam lectionem praebet, cum in insequentibus libris (XXVI—XXX) semper (uno loco (XXX c. 28, 2) excepto) aspiratum sit. Quod forti tribuendum esse non puto; sed is qui codicem P scripsit saepissime initio (lib. XXI: 27, 27 %; XXII: 20 %; XXIII: 19,05 %) genuinam lectionem quam legebat in libro archetypo descripsit, tum praecepta grammaticorum diligentius quam antea secutus est et fere semper *haut* praebet, ut raro *h* spurium deesse videamus: lib. XXIV: 8,57 %; XXV: 3,03 %; denique in libris XXVI—XXIX semper aspiratio extat, cum in libro XXX genuina lectio semel (7,14 %) inveniatur.

Codicum qui Anthologiae Latinae carmina continent[1]) in codice Salmasiano, nunc Parisino 10318 saec. VII vel VIII in. (A) particula semper, i. e. novies, aspiratione caret: carminis 13 v. 14; c. 16 v. 16; c. 17 v. 24; c. 17 v. 410; c. 21 v. 182; c. 81 v. 26; c. 115 v. 5; c. 119 v. 2; c. 255 v. 10.

Item in Anthologiae codice Vossiano Q 86 saec. IX (V) semper, i. e. semel (c. 412 v. 4) haec lectio extat.

Contra in codice Parisino 13047 saec. IX (C) semel (c. 719 v. 67) aspiratio deest, bis addita est.

Ubi codex Salmasianus scriptus sit ignotum est;[2]) qua de causa ex patria eius librarii declarari non potest cur hoc in codice solo et uno semper *h* spurium desit. Fortasse codicis scriba eo quod nonnulli grammatici Latini *haud* ex *οὐ* Graeca negatione derivatum esse dixerant adductus est, ut particulam sine aspiratione scriberet; sed haec opinio vaga esse mihi videtur, cum rarissime hanc sententiam apud grammaticos scriptam esse viderimus. Porro eum qui codicem

---

1) Anthologia Latina sive poesis Latinae supplementum, pars prior: Carmina in codicibus scripta rec. A. Riese (1894—1906). De codicibus v. praef. vol. I p. XII—XVII.

2) v. vol. I praef. p. XIII.

scripsit *haud* patriculam cum *aut* coniunctione commutasse verisimile non est, quod semper *aut* pro *haut* scripserit. Sed scribam genuinam lectionem in codice antiquo ex quo hunc Salmasianum descripsit legisse concludo.

Ne credas in codice Salmasiano *h* litteram in aliis quoque vocabulis semper vel fere semper omissam esse; contra *h* genuinum diligentissime in hoc codice conservatum esse facile cognoscitur, ut has particulae lectiones summi momenti esse appareat.

Aliter res se habet in Lucretii codicibus[1]: ubi *haud* 40 locis extat.

Omnibus in codicibus, Leidensi 'oblongo' saec. IX, Leidensi 'quadrato' saec. X, schedis Hauniis uno loco, lib. II v. 423, aspiratio deest; quam lectionem in codice archetypo saec. IV vel V fuisse apparet. Accedit lib. III v. 330 ubi in codicibus quadrato et oblongo *aut* extat, cum in codicibus qui saec. XV in Italia scripti sunt aspiratio legatur.

Paulo saepius in codice quadrato solo vocabulum de quo agitur non aspiratur: lib. II v. 233 (*Haeraud* = *aeris aud*); v. 747; v. 750; lib. III v. 571 ubi *ut* pro *aut* extat; v. 682 (*aud*); v. 840 (*aud*); v. 1069; lib. V v. 552; accedit lib. III v. 633 ubi *Auditum* pro *Aud igitur* scriptum esse apparet.

De regionibus in quibus codices scripti sunt Lachmann pauca verba in commentario facit. Ubi oblongus scriptus sit se nescire dicit (v. p. 4/5); sed quadratum scriptum esse a librario Germano verisimile esse. Quo in codice saepius quam in reliquis aspirationem deesse vidimus.

Saepissime contra in codicibus qui Persii et Iuvenalis saturas continent[2]) vocabulum sine aspiratione scriptum est.

Bis in libro archetypo codicum Montepessulani 212 saec. X (A) et Vaticani saec. IX (B) in quibus Persii saturae solae

1) T. Lucreti Cari rer. nat. lib. VI ed. C. Lachmann (Be. 1850); de codicibus egit in commentario, Be. 1850.

1) A. Persii Flacci D. Junii Juvenalis Sulpiciae saturae rec. O. Jahn; ed. III. cur. Fr. Buecheler; ed. IV cur. Fr. Leo.

extant et particula 7 locis legitur, aspiratio deest: sat II v. 6; V v. 171 (28,57 %). Praeterea in B solo semel *aud* scriptum est: sat. VI v. 58 ubi in Montepessulano 125 saec. IX (P) qui Persii et Iuvenalis saturas exhibet non aspiratur; quo loco quid fuerit in libro archetypo cognosci non potest, cum in A aspiratio legatur.

In codice P qui *haud* 15 locis praebet vocabulum quater (26,66 %) prima manu aspiratione caret: Persii sat. VI v. 58; Iuvenalis sat. VI v. 7 (teste Buechelero, tacente Leone); sat. VIII v. 198; sat. XIV v. 136.

Iam de particulae lectionibus quae inveniuntur in codicibus qui Horatii carmina et sermonum epistularumque libros continent[1]) agendum est.

Summi momenti est nonnullis locis e codicum lectionibus cognosci in libro archetypo antiquo aspirationem defuisse:

Bis (12,5 %) in libro archetypo (F) codicum Parisini 7974 (φ) et Parisini 7971 (ψ) quem saeculo X quo codices φ et ψ scripti sunt vetustiorem esse apparet haec lectio extat: Serm. II 5, 18 ubi in utroque codice *aut* scriptum est; Epist. I 7, 40 ubi in φ et ψ *At* occurrit; quam lectionem ex *Aut* quod fuit in codice ex quo liber archetypus descriptus est ortam esse apparet. Reliquis 14 locis quibus particula extat in codice archetypo aspiratio addita fuisse videtur, cum in utroque codice haec lectio reperiatur.

Semel (Epist. I 7, 40) in libro archetypo (λ') codicum Parisini 7972 (λ) et Leidensis Lat. no. 28 (l) qui saeculo IX vetustior erat negationem aspiratam non fuisse inde concludo, quod in λ *At* (pro *Aut*), in l *Aut* extat. Duodecies autem in codice λ' aspiratio fuerat, cum in utroque codie λ et l haec lectio inveniatur. Tribus locis quid fuerit in libro archetypo cognosci non potest: Serm. II 5, 18 et Epist. I 8, 4 ubi in

1) Keller-Holder ed. princ. (1864—6); vol. I praef. p. IX—XIII; vol. II praef. p. III—XX, XXI—XXII; praeterea indicibus verborum (vol. I p. 258; II p. 412) et defectuum (vol. I p. 320; vol. II p. 476) usus sum.

λ *aut* legitur, cum in l aspiratum sit; Epist. II 2, 128 ubi in l aspiratio deest, in λ addita est.

Semel denique librum archetypum (π') codicum Parisini 10310 (π) et Lipsiensis rep. I 4, 38 (Lips.) qui saeculo X vetustior est genuinam lectionem adhibuisse cognoscitur (Epist. I 7, 40), cum quater aspirationem additam fuisse appareat. Reliquis 9 locis quibus negatio occurrit codex π deest, ut quid fuerit in libro archetypo nesciamus.

In reliquis codicibus archetypis partim lectiones cognosci non possunt, cum alter codex desit — velut in codicibus Parisino 7900ª saec. (IX—) X (A) et Avenionensi saec. IX (—X) (a), cum in A negatio semel legatur quo loco a deest —, partim semper aspirationem additam esse e consensu codicum concludo: velut in libro archetypo (E′) codicis Emmerammensis 685 saec. XI (E) et schedarum Stutgardianarum saec. XI—XII (e) in quo vocabulum bis aspiratum fuisse apparet; reliquis 13 locis quibus *haud* in E legitur e non extat; in libro archetypo (δ') codicum Harleiani 2688 saec. IX—X (d) et Harleiani 2725 saec. IX—X (δ) ubi aspiratio extitisse videtur; in libro archetypo (β') codicum Bernensis 21 saec. X (β) et Frankerani saec. XI—XII (Fran.) ubi 11 locis aspiratio addita fuerat; cuius codicis lectiones 4 locis investigari non possunt quibus in Fran. *aut* legitur, cum in β aspiretur.

Praeterea in nonnullis codicibus solis aspirationem deesse videmus:

Ter in Emmerammensi saec. XI (ε): Serm. I 9, 27; II 2, 46 (*aud*); II 6, 115 ubi *at* pro *aut* extat (21,5 %); bis in Parisino 7972 saec. IX—X (λ) solo: Serm. II 5, 18; Epist. I 8, 4 (18,75 %); semel in Leidensi Lat. no. 28. saec. X in. (l): Epist. II 2, 128 (13,33 %); semel in Harleiano 2725 saec. IX—X (δ): Epist. I 7, 40 ubi *At* pro *Aut* legitur (16,66 %); quater in Frankerano saec. XI—XII (Fran.): Serm. I 4, 77; I 9, 27; II 1, 17; II 6, 115 (26,66 %); semel in Nienburgensi saec. X in. (ν) qui vocabulum 13 locis exhibet: Serm. I 6, 99 (7,6 %); semel in Parisino 10310 saec. X—XI (π) in quo particula 6 locis extat: Epist.

I 8, 4 (16,66 %); ter in Gothano chart. B 61 saec. XV (g) qui negationem 16 locis praebet: Serm. I 4, 77; I 9, 27 ubi *haut* legitur; Epist. II 2, 128 (18,75 %).

In reliquis codicibus quorum duo: Oberlinianus A (D) qui particulam 11 locis, Bernensis 363 (B) qui ter praebet saeculo IX, tres: Einsidlensis 3973 (ε) qui 6 locis, Parisinus 7973 (u) qui 10 locis, Sangallensis 312 (σ) qui 16 locis negationem exhibet saeculo X, tres: Bliandifontanus (γ) in quo 15 locis, Monacensis 14685 in quo ter, Parisinus 9345 (r) in quo 15 locis particula extat saeculo XI, unus: Parisinus 8213 (v) qui 15 locis vocabulum exhibet saeculo XIII scripti sunt, semper aspiratio legitur. In codice Turicensi Carolino 6 saec. X *haud* omnino non invenitur.

Fortasse forti tribuendum esse putes in nonnullis codicibus aspirationem semel vel bis deesse. Saepe autem eos qui codices scripserunt genuinam lectionem in antiquissimis codicibus repperisse verisimile est; quam nonnusquam in libris archetypis fuisse probatum est.

Neque saepius in codicibus qui Senecae tragoedias tradiderunt[1]) *haud* extat.

Saepissime in codicibus recensionis E vocabulum de quo agitur aspiratione caret: In excerptis Thuaneis saec. IX ex. vel X in. (Thu) negatio semel legitur et sine aspiratione scripta est: Med. v. 593.[2]) Decies in codice Laurentiano saec. XI (E) haec lectio extat: Her. (Fur.) v. 345; v. 922; Troad. v. 25; Phoen. v. 198; v. 338; Med. v. 1014; Phaedr. v. 492; v. 860; Agam. v. 269; Herc. (Oet.) v. 1166 (22,2 %), cum tricies quinquies aspiratum sit.

Contra in codicibus recensionis A qui omnes particulam 55 locis praebent *h* spurium raro deest: bis in codice Rehdigerano S I 6, 11 saec. XIV (R): Med. v. 254; Agam.

1) L. Annaeï Senecae tragoediae, ed. R. Peiper et G. Richter, Lips. 1867; 1902²; de codicibus agitur praef. p. XXIII sq.

2) Affero versus quos in editione altera (1902) legi.

v. 269 (3,63 %); semel in Rehdigerano S I 6, 12 saec. XIII (R 12): Octav. v. 753 (1,81 %); bis in Rehdigerano S I 6, 13 saec. XIV (R 13): Octav. v. 100; v. 805 (3,63 %); semel in Gothano saec. XV (G): Herc. (Oet.) v. 1166 (1,81 %).

In nonnullis codicibus recensionis A: Vindobonensi saec. XIV (Vφ); Rehdigerano S I 6, 10 saec. XIV (R 10); Rehdigerano S I 6, 14 saec. XIV (R 14) semper aspiratur; item in codice Lugdunensi saec. XIV (C) qui Octaviam solam continet.

Quae negationis lectio fuerit in foliis Mediolanensibus rescriptis saec. VI—V quae Fr. Ritschl in palimpsesto Plautino repperit quamquam ex apparatu critico cognosci non potest, docet tamen Studemundus apud Leonem in editione Senecae tom. II p. XX sqq.; itaque semel ibi, Med. v. 254, *aut*, semel, Med. v. 200, *haut* perspicue exaratum est, ut etiam in hac antiquissima membrana *aut* idem quod *haud* valere appareat.

Paulo aliter res se habet in Nonii Marcelli Compendiosa doctrina[1]) ubi *haud* saepissime aspiratione caret.

In libro archetypo horum codicum quos omnes ex uno libro manasse constat[2]) particula saepe sine aspiratione scripta est. Codices Lugdunensis saec. IX (L) et Genevensis 84 saec. X (Gen.) qui caput IV solum continet proxime a libro archetypo abesse Lindsay dicit; accedunt Harleianus 2719 saec. IX (H) et Guelferbitanus saec. IX—X (G) quos summa affinitate cum L coniunctos esse L. Mueller exponit. Quibus in codicibus decies septies aspiratio deest: p. 224, 3 (*aut* LHG); p. 241, 25 (*aut* $L_1 H_1$ Gen.); p. 265, 2 (*aut* $L_1 H_2 Gen_1$, *at* $L_2 H_1 Gen_2$); p. 284, 23 (*aut* cdd.); p. 307, 11 (*aut* cdd.); p. 311, 21 (*aut* Gen_1 H_1 L); p. 341, 16 (*aut* Gen_1 pr. L); p. 347, 1 (*aut* L H G Gen); p. 381, 28 (*aut* Gen H_1 *ad* L_1); p. 385, 22 (*aut* Gen_1 L_1); p. 392, 34 (*aut* cdd.); p.

1) Nonii Marcelli Compendiosa doctrina, ed. L. Mueller, Lips. 1888; de codicibus uberius actum est in Adversariorum Nonianorum cap. V.

2) v. Lindsay, Nonii Marcelli Comp. doctr., ed. Lips. 1903, praef. p. XIX.

392, 35 (*aut* cdd.); p. 393, 31 (*aut* cdd.); p. 395, 26 (*aut* cdd. [*au* Gen_1]); p. 469, 6 (*aut* cdd.); p. 473, 11 (*aut* cdd.); p. 489, 1 (*aut* LHG). Quibus locis particulam in codice archetypo quem saeculo VII vel VIII scriptum esse Lindsay et L. Mueller contenderunt[1]) aspiratam non fuisse apparet. Cum negatio tricies quinquies apud Nonium legatur, genuinam lectionem saepissime in codice archetypo extitisse videmus (48,57 %). Accedit fortasse p. 36, 31 ubi omnibus in codicibus *uti* pro *aut* scriptum est.

Nonnullis autem locis alii codices *aut* exhibent, alii aspirationem praebent; velut in L solo p. 22, 21 (*aus* pro *aut* vel *aud*); p. 182, 10; p. 299, 11; p. 310, 6; p. 324, 19; p. 331, 12; p. 387, 2 a prima manu *aut* scriptum est, cum in reliquis codicibus aspiratio addita sit. Porro p. 174, 22 in codicibus L et H *aut* extat ubi in reliquis *h* spurium legitur; denique p. 174, 13 in L et H *auim quamquam* pro *aut quamquam* vel *aud quamquam* scriptum esse apparet, cum in reliquis codicibus aspiratio addita sit.

Saepissime in codice L saec. IX quem optimum esse constat genuina lectio extat (74,28 %), cum raro (octies) aspiretur; item in Gen. quem proxime ad librum archetypum accedere et optimum esse Lindsay dicit negatio saepius sine aspiratione (59,09 %) quam cum aspiratione legitur.

Praeterea vocabulum aspiratum non est: bis in codice Bambergensi saec. IX—X (Bamb.) in quo capita III et IV desunt: p. 469,6; p. 489,1; quo in codice aspiratio saepe (33,3 %) omissa est. Bis in Bernensi 83 saec. X qui caput IV solum continet: p. 265,2; p. 381,28; quae lectio saepe (36,36 %) in hoc codice extat.

Quibus in regionibus Nonii codices scripti sint incertum est. Sed Harleianus 2719 (H) e Germaniae monasterio aliquo

---

1) v. Lindsay, Die Hauptbandschriften von Nonius Marcellus I—III, Philol. 55 p. 160; L. Mueller, Nonii Marcelli Comp. doctr. (Lips. 1888): Adversaria Noniana III p. 266.

in Britanniam delatus esse videtur et verisimillimum est reliquos quoque codices in Germania scriptos esse [1]).

In Scaenicae Romanorum poesis fragmentis [2]) particula vicies sexies extat. Plurimi versus e Nonii Compendiosa doctrina exscripti sunt cuius de lectionibus supra egi. Nonnullis locis *haud* in Festi libro [3]) legitur; semel in codice Farnesiano saec. XI vel XII in quo haec fragmenta extant *aut* scriptum est: L. Accii v. 466: *Aut quisquam potis est tolerare acritudinem* = Festus p. 356; ter aspiratio addita est: Livii Andronici v. 35 (Festus p. 181); Ennii v. 330 (Festus p. 198); vol. II: Livii Andronici v. 2 (Festus p. 330). Semel negatio erasa esse videtur: vol. II: Titinii v. 181 (Festus p. 197).

Praeterea e Varronis libris quos scripsit de lingua Latina versus exscriptus est: vol. I: Ex incertis incertorum fabulis v. 74 (Varro l. l. VI 84) ubi legitur: *audio aut ausculto*. Quo loco omnibus in codicibus quorum antiquissimus saeculo XI scriptus est [4]) *h* spurium deest, ut hanc lectionem in libro archetypo fuisse appareat.

De nonnullis locis qui in Ciceronis libris philosophicis leguntur in insequentibus agam; item de uno (Ennii v. 340) qui e Gellii Noctium Atticarum libris allatus est.

Raro *haud* in Ciceronis libris philosophicis occurrit [5]).

In codice antiquissimo, palimpsesto Vaticano, qui particulam sexies praebet semel aspiratio deest: De re public. lib. II, 8.

---

1) v. Advers. Nonian. V p. 295; 298.

2) rec. O. Ribbeck, Lips. 1871².

3) Sexti Pompei Festi De verborum significatione quae supersunt cum Pauli epitome, rec. C. O. Mueller, Lips. 1839.

4) v. M. Terenti Varronis De lingua Latina libri ed. A. Spengel Be. 1885; praef. p. II sq.

5) Ciceronis opera maiora, ex rec. Orelli, editio altera emendatior contin. I. G. Baiterus et C. Halmius, Turici 1861; vol. IV: Libri qui ad philosophiam et ad rem publicam spectant. Praeterea editione quam fecit O. Plassberg (vol I [1908] paradoxa Stoicorum, Academicorum

In codicibus Vindobonensi n. 189, Leidensi Vossiano n. 84, n. 86 quos ex uno codice deperdito descriptos esse constat Lucullus, De deorum natura, De divinatione libri, Timaeus traditi sunt; in codicibus Vossianis praeterea Ciceronis De legibus libri extant. Quorum codicum e consensu libri archetypi vetustioris scriptura cognoscitur. In hoc archetypo particula septies aspiratione caruisse videtur: Acad. prior. II 81; De divin. I 81; De leg. I 18; II 15; 45; III 26; 32.

Reliquis locis negatio aut in binis codicibus aut in uno solo sine aspiratione, in reliquis cum aspiratione scripta est. Summi momenti mihi videtur esse in codice Vossiano n. 86 solo quem optimum esse inter omnes constat praeter eos locos quibus in libro archetypo aspiratum non fuisse exposui novies *h* spurium deesse: De deor. nat. I 4; II 4; 57; 138; III 69; De divin. II 82 ubi *ut* pro *aut* extat; II 150; Tim. 13, 47; 14, 52. Porro semel in codicibus Leidensi n. 84 et Vindobonensi n. 189 *aut* legitur: Tim. 3, 8; bis in Leidensi n. 84 saec. XI et n. 118 saec. XII: De leg. II 16; 57; quibus locis Leidensis n. 86 saec. XII aspirationem addidit.

Praeterea in codicibus qui Tusculanarum disputationum libros continent genuina particulae lectio extat: bis in Gudiano n. 294 saec. X in quo negatio septies legitur: III 2; 55 ubi manus secunda *h* spurium addidit (28, 57 $^0/_0$); bis in codice Regio Parisiensi n. 6332 saec. IX: lib. I 99; II 2 (28,57 $^0/_0$); semel in Bruxellensi 5351 et 5352 saec. XII: I 99 (14,38 $^0/_0$).

In codice Leidensi n. 118 saec. XII in quo De deorum natura, De divinatione, De legibus libri extant aspirationem quinquies deesse supra exposui, cum explicarem quae lectio in codice archetypo et in Leidensi n. 84 reperiatur. Quo in codice vocabulum saepe (27,27 $^0/_0$) aspiratione caret.

---

reliquias cum Lucullo, Timaeum; vol. II [1911] De deorum natura libros continens) usus sum. Locos quibus negationem repperi exscripsi e verborum indice quem fecit Merguet.

Denique raro in codicibus qui Gellii Noctium Atticarum libros continent[1]) aspiratio particulae deest.

In antiquissimo codice palimpsesto Vat. Palat. saec. V (A) semper (24 locis) aspiratum est.

Reliquorum codicum libros I—VII continentium qui vocabulum 24 locis praebent Vaticanus 3452 saec. XIII (V) et acad. Lugd. Bat. Gron. saec. XII (R) semel genuinam lectionem exhibent: lib. II c. 6, 1. Praetera in V solo his locis non aspiratur: lib. IV c. 15, 2; VII c. 15, 6 ubi secunda manus aspirationem addidit (12,5 %). In codice bibl. nat. Parisino saec. XIII *h* spurium semel deest: lib. III c. 15, 2 ubi secunda manu aspiratum est (5 %).

Porro in nonnullis codicibus libros IX—XX continentibus in quibus *haud* 25 locis extat vocabulum aspiratione caret: sexies in codice acad. Lugd. Bat. Voss. F 7 saec. XIV (Z): lib. X c. 15, 21; XIII c. 2, 2; c. 29, 2; XVII c. 13, 3; XIX c. 10, 7; XX c. 10, 4 ubi *audis-quam* pro *aud usquam* legitur (24 %); ter in codice bibl. nat. Parisino 8664 saec. XIII (Q): lib. X c. 15, 21; XVII c. 5, 3; c. 13, 3 (12 %); quater in codice acad. Lugd. Bat. Voss. F 112 saec. X (X): lib. XII c. 4, 4; XVI c. 19, 15; XVII c. 5, 3; XIX c. 10, 7 (16 %); praeterea in codicibus Bern. 404 saec. XII (B), Christ. in Vat. II 1646 saec. XII (*Π*), bibl. Magliabuch. saec. XV (N) semel *aut* extat: lib. X c. 15,21 (4 %).

Verum in codice Christianae in Vat. I 597 saec. X (O) solo semper (25 locis) aspiratio addita est; item in codicibus Paris. 4952, olim Colbert. saec. XII (T) et Vatic. 3307 saec. XII (Y) qui omnes Gellii libros exhibent semper aspiratum est.

Denique ea quae uberius exposui paucis verbis, ut facile perspici possint, comprehendam.

---

1) A. Gellii Noctium Atticarum libri XX ex rec. et c. app. crit. M. Hertz, Be. 1853.

Antiquis iam temporibus *haud* particulam aspiratam fuisse ex inscriptionibus quarum antiquissima aetatis fere Gracchanae esse videtur cognoscitur.

Porro codicum scribas doctrinam grammaticorum qui aspirationem particulae, ut ab *aut* coniunctione diiudicari posset, addi iubebant omnibus fere temporibus diligentissime secutos esse vidimus. In nonnullis codicibus antiquissimis semper (Vergilii F saec. III et G; Terentii A saec. IV vel V) vel fere semper (Plauti A saec. IV) aspiratio legitur. Unde eos qui hos codices ex antiquissimis libris archetypis descripserunt diligentissime grammaticorum praecepto oboedisse apparet. Sed concludi non potest in libris archetypis semper eandem fuisse lectionem atque in codicibus antiquissimis qui nobis servati sunt. Quin etiam verisimillimum esse mihi videtur in antiquissimis codicibus genuinam negationis lectionem saepe extitisse quam scribae quorum codices nobis praesto sunt corruperunt. Nam in omnibus fere glossariis Latinis utraque particulae lectio affertur et sub A et H litteris de negatione agitur; unde apparet eos qui glossaria confecerunt in antiquissimis codicibus genuinam lectionem invenisse quam sub A littera insertam declarare studebant. Recentiorum codicum scribae nonnusquam has glossas omiserunt, cum *aud* negationem ignorarent neque antiquissimos codices ipsos adhiberent quibus ei usi sunt qui glossaria confecerunt. Si respicimus grammaticos Latinos saepissime aspirationem particulae addi iussisse, concludere debemus eos locos quibus *h* spurium deest summi momenti esse; quos etiam plurimos esse demonstrabo.

In multis codicibus antiquis quos optimos esse inter omnes constat *haud* aspiratione caret: ter in Plauti Ambrosiano; semel in Senecae palimpsesto; undecies in Puteano saec. VI. qui Livii libros XXI—XXX continet; novies (semper) in Salmasiano saec. VII vel VIII in quo carmina Anthologiae Latinae leguntur; semel in codice palimpsesto Vaticano qui Ciceronis De re publica librorum reliquias exhibet.

Porro multos codices antiquissimos e quibus nonnullos codices qui nobis servati sunt descriptos esse scimus genuinam

particulae lectionem praebuisse consensu omnium codicum qui nobis praesto suut probatur. Quibus in libris archetypis *haud* saepe sine aspiratione scriptum esse videmus: quater in Vergilii libro archetypo; tricies vel etiam tricies bis in Plauti libro archetypo ex quo codices Palatini descripti sunt; semel in Lucretii libro archetypo; bis in Persii, bis in libro archetypo codicum φ et ψ, semel in codicum π et Lips., semel in codicum l et λ qui omnes Horatium exhibent; septies decies in Nonii Marcelli libro archetypo; semel (i. e. semper) in codice archetypo qui Varronis De lingua Latina libros continebat; septies in libro archetyo codicum Vindobonensis n. 189 et Vossianorum n. 84 et n. 86 qui nonnullos Ciceronis libros philosophicos exhibent.

Neque forti tribuendum est in codicibus quos optimos esse inter omnes viros doctos constat in Salmasiano, in libro archetypo codicum Palatinorum, in glossariis saepissime aspirationem deesse. Notum enim est eos qui hos codices scripserunt saepissime rusticum sermonem secutos esse; quos hac quoque in re praecepto grammaticorum qui aspirationem particulae addi iubebant non oboedisse, sed ea quae in antiquissimis codicibus incorrupta extabant recepisse videmus.

Dubitari non potest, quin omnibus iis locis quibus in codicibus *haud* aspiratione caret in libro archetypo haec lectio fuerit; at etiam iis locis quibus in binis codicibus vel in uno solo *h* littera deest, cum in reliquis aspiratum sit, genuinam lectionem in libro archetypo extitisse verisimillimum est. Nam nunquam fieri potuit, ut scriba qui in libro archetypo particulam cum aspiratione legerat hanc scripturam mutaret et *aut* pro *haut* poneret, cum eum grammaticorum doctrinam et vocabulum ipsum de quo agitur, etiamsi non bene latine sciret, non ignorasse appareat. Nonnusquam scriba qui genuimam lectionem nobis servavit sensum non perspexit atque hanc ob rem scripturam quam in libro archetypo inveniebat descripsit neque aspiravit, cum reliquorum codicum scribae particulam cui aspirationem addi grammaticos iussisse sciebant hoc loco

positam esse recte intellegerent. Utcunque res se habet, si in uno codice solo particulam sine aspiratione scriptam videmus, verisimillimum est hanc lectionem fuisse in libro archetypo. Si vero in optimo codice solo *haud* aspiratione caret, cum in reliquis quos peiores esse constat aspiratum sit, optimo iure concludere possumus librum archetypum genuinam scripturam praebuisse. Rectissime igitur Birt iudicat qui haec verba facit[1]: „*Aut* für *haud*, wo immer wir es lesen, ist nicht aus Verstummen des unechten *h*, sondern als Rest der echten Aussprache zu deuten."

Liceat mihi in insequentibus nonnullos codices optimos breviter afferre in quibus iis locis quibus reliqui codices qui ex eodem libro archetypo descripti sunt aspirationem exhibent *haud* aspiratione caret: Vergilii codices R et M (semel); R et P (semel); M solus (quindecies); P solus (semel); R solus (quinquies); Plauti codex B optimus solus (duodecies); C solus (quater); D solus (bis); C et D (quater); Terentii codex C solus (decies) cuius lectiones bis cum Nonii L consentiunt; F solus (quater); Lucretii quadratus solus (novies); Nonii Marcelli L solus (septies); L et H (semel); Ciceronis Leidensis n. 84 et n. 118 (bis). Eorum codicum in quibus aspiratio rarissime deest vel quos non optimos esse constat mentio facta non est.

Sed iam satis exemplorum atque causarum me attulisse puto, quibus demonstratur in codicibus archetypis antiquissimis saepius quam in recentioribus qui ex illis descripti et nobis servati sunt *haud* aspiratione caruisse. Quae lectio in illis codicibus antiquissimis qui grammaticorum doctrinam non tam diligenter sequebantur quam Vergilii F, Plauti A, Terentii B fere totiens extabat quotiens aspiratio addita est.

Denique causa investiganda est qua explicetur cur in codicibus antiquis saepe aspiratio desit; nemo enim est qui

---

1) Der Hiat p. 215.

putet sola scribarum licentia factum esse, ut *haud* modo cum aspiratione modo sine aspiratione scriptum legamus.

E regionibus in quibus codices scripti sunt variae lectiones declarari non possunt. Paucorum codicum originis regionem notam esse vidimus, cum de plurimis ubi scripti sint parum exploratum sit. Duos codices in Gallia ortos esse verisimile est: Harleianum 5792 saec. VII et Laudunensem 444 saec. IX qui glossas Graeco-Latinas continent; quorum alter, Harleianus, bis (22,20 $^0/_0$) negationem sine aspiratione exhibet, alter, Laudunensis, semel (11,1 $^0/_0$), cum uno loco *aut* lectionem quam Harleianus praebet in *haud* corruperit. Reliqui codices quorum originis regio nota est in Germania scripti sunt: Palatini qui Plauti fabulas continent et saepe particulam non aspiraverunt: B: 15,25 $^0/_0$, C: 16,90 $^0/_0$, D: 12,22 $^0/_0$; Lucretii quadratus saec. X qui genuinam lectionem decies praebet; codices Nonii Marcelli quorum Harleianum in Germania scriptum esse constat et reliquos quoque ibi ortos esse verisimile est; quibus in codicibus aspiratio saepissime deest: L: 74,28 $^0/_0$ H: 48,57 $^0/_0$, G: 31,41 $^0/_0$, Bamb: 33,3 $^0/_0$, Lugd: 16,6 $^0/_0$, Gen: 59,09 $^0/_0$, B: 36,36 $^0/_0$, A: 27,27 $^0/_0$. Unde concludi non potest in codicibus qui in Gallia orti sunt paulo rarius quam in iis qui in Germania scripti sunt particulam sine aspiratione scriptam esse, cum in Harleiano 5792 et Laudunensi 444 haec lectio non totiens inveniatur quotiens in codicibus Palatinis, Lucretii quadrato, Nonii Marcelli qui in Germania scripti sunt. Neque dici potest in codicibus qui in Gallia et Germania orti sunt genuinam lectionem saepius quam in reliquis inveniri, cum quibus in regionibus reliqui codices scripti sint nesciamus. Sed apparet hanc quaestionem in dubio relinquendam neque e codicum regionibus varietatem lectionum esse repetendam.

Denique supra breviter exposui verisimile non esse codicum scribas eo quod grammatici Latini *haud* particulam ex *οὐ* Graeca negatione derivaverunt adductos esse, ut aspirationem omitterent. Nam non nisi duobus locis grammatici

Latini (Charisius[1]) et Marius Victorinus[2])) hanc doctrinam tradiderunt neque particulam sine aspiratione scribi iusserunt. Apparet grammaticos hanc coniecturam fecisse, ut declararent cur in codicibus antiquissimis *haud* saepe aspiratione careret; nam illi quoque grammatici aspirationem postea additam esse dicunt, ut *haud* particula ab *aut* coniunctione diiudicari possit.

Quae cum ita sint, concedendum est omnibus locis quibus *haud* sine aspiratione scriptum est genuinam lectionem nobis traditam esse. Cuius de origine v. d. inter se dissentire supra exposui; nonnulli particulam ad *οὐ* Graecam vocem refferri solebant. Birt[3]) particulam sermonis Latini propriam et ex *ab-*, *av- id* ortam esse contendit. Similem enim compositionem esse *postid (postid-ea)*. Quae originis explicatio si recta est, necesse est *haud* summam negandi vim habere; quam negationi inesse uberius p. 22 exposui, cum de glossis Latinis agerem. Ibi enim *haud* idem significare atque *longe remotum* vidimus. Accedit quod particula nusquam in interrogationibus posita est; quod Birt[4]) ut sententiam probaret non semel exposuit. Ego quoque nusquam apud scriptores quorum opera perscrutatus sum *haud* ita positum esse vidi, ut dubitationem quandam habere possit.

Quibus expositis dubitari non posse puto, quin *au* quod in *haud* occurrit idem sit atque in vocabulis quae sunt *aufugio, aufero*. Utrum haec syllaba *au* etiam in praepositione *ab* ipsa agnoscenda sit necne diiudicare nolo, quamquam haec Birtii sententia verisimillima mihi esse videtur, qui olim *abdecet = non decet* in comparationem vocavit, nunc etiam abdicandi usum mihi in memoriam revocat: *consanguineam esse abdicant* i. e. negant, Pacuvius 55; *abdicativum = negativum* Martianus Capella p. 124. Habet igitur *ab* et ipsum vim negationis.

---

1) v. instit. gramm. I 15: Gramm. Lat. ed. H. Keil vol. I 112,8.

2) v. art. gramm. I 4: Gramm. Lat. vol. III 15,21.

3) mus. rhen. suppl. LII p. 154; Der Hiat bei Plautus u. d. lat. Aspiration l. l.

4) v. mus. rhen. suppl. LII p. 154sq.

II. De haurire verbi aspiratione agitur.

1. De vocabuli origine quid viri docti scripserint explicatur.

Ut in *haud* particulae origine indaganda viros doctos valde inter se dissentire vidimus, ita eos *haurire* originis explicationem quaerentes omnino non eandem sententiam secutos esse facile cognoscitur. Nam alii vocabulum genuina aspiratione uti dicunt, alii *h* spurium postea additum et nullius momenti esse putant.

Nonnulli v. d. aspirationem ad *haurire* verbi originem indagandam summi momenti esse dixerunt. Quorum primus Pott[1]) *haurire* a verbo primigenio *haus* quod cum Graeco *χυ* cohaerere verisimile sit ductum esse contendit; neque aliter Curtius[2]) de hac quaestione iudicat. Quam sententiam secutus est Corssen qui copiosius de vocabulo agit et postquam nonnulla alia exposuit haec verba facit:[3]) „. . . diejenigen Sprachforscher haben Recht, welche der Ansicht waren, dass das anlautende *h* in *haur-i-re* etymologisch berechtigt sei. . . . Ich bin zu der Überzeugung gelangt, dass Pott's Gedanke, *haur-i-re*, *haus-tu-s* mit Goth. *giu-tan*, Gr. *χεῖ-μα* u. a. von Wz *ghu* giessen herzuleiten, ganz richtig ist.“ Atque ipse originis explicationem quam paulo antea exposuerat[4]) falsam esse

1) Etymologische Forschungen auf d. Gebiete d. indogermanischen Sprachen (1833) I p. 226.

2) Grundzüge der griechischen Etymologie, ed. alt. n. 303.

3) Beiträge zur italischen Volkskünde (1876) p. 120.

4) Über Aussprache, Vokalismus und Betonung d. lat. Sprache (1868²) p. 356.

dicit; contenderat enim *haurire* derivatum esse a nomine generis neutrius *ha-us* quod cum Graeca voce *χά-ος* cohaereret.

Praeterea Thurneysen aspirationem quae in *haurire* verbo nobis occurrit genuinam esse putat, quamquam ab alio verbo principali vocabulum ductum esse dicit. Qui v. d. postquam pugnavit contra Fickium qui *haurire* cum Graecis *ἐξ-αῦσαι*, *κατ-αῦσαι* cohaerere contendit, haec explicat:[1] „Die Schreibung mit *h* [bei *haurire*] ist fast durchgehend, und das Compositum *dehôrîre* (nicht **-hûrîre*) bei Cato, wohl auch *hôstus* „Produkt einer Ölernte“ läßt auf altes ô schließen. Der lateinische Stamm wird *ghôs-* sein und zu skr. *ghas* „verschlingen“ gehören; auch *hasta* „Speer“ kann verwandt sein; vgl. *latus gladiô haurîre* u. ähnl.“ Quam sententiam secuti sunt Meyer-Lübke[2]) et Walde[3]) qui contenderat dubium non esse quin aspiratio vocabuli spuria sit (ed. princ. 1906).

Reliqui autem v. d. qui de *haurire* verbo egerunt aspirationem ad originem indagandam nihil valere dixerunt. Primus Fick vocabulum falsa aspiratione uti et cum aliis verbis cohaerere suspicans haec verba facit:[4]) „Wie in *anser* und *elementum* *h* abgefallen ist, scheint derselbe früh verstummte Anlaut fälschlich zugesetzt zu sein in *haurio*, Stamm *haus* schöpfen, das doch ganz evident dem an. *ausa jôs* schöpfen entspricht“. Idem v. d. aliis locis[5]) *haurire* a verbo primario *aus* ductum esse dicit et ea quae Pott attulerat improbans haec explicat[6]): „Besser entschließt man sich, das *h* in *haurire* als Schreibschnörkel anzusehen, dann entspricht auf das Schönste an. *ausa jôs* (wäre goth. *ausan aians*)

---

1) Lateinischer Lautwandel; Kuhns Zeitschrift XXVIII p. 157—158.

2) Lbl. f. germ. u. roman. Phil. 1906, p. 234.

3) Lat. etym. Wörterbuch 1911².

4) Kuhns Zeitschrift XXII p. 384.

5) Vergleichendes Wörterbuch der indogermanischen Sprachen (1874—76) I p. 4; p. 473.

6) I p. 585.

schöpfen." Qua de quaestione nonnullis aliis locis eadem fere verba facit.[1])

Quam sententiam secutus est Fröhde,[2]) quamquam mirum esse dicit, quod *haurire* semper aspiretur. Praeterea Osthoff[3]) et Vanicek[4]) ad hanc sententiam quam Fick explicaverat accesserunt. Porro Osthoff[5]) iis verbis quae Fick cum verbo primigenio *aus* cohaerere contendit Graecum αὔω addit et pluribus verbis explicat quo factum sit, ut *h* spurium adderetur. Item Leo Meyer[6]) et Kretschmar[7]) qui *haurire* a verbo principali *aus* ductum esse, sed cum Graeco αὔω non cohaerere dicunt *h* litteram spuriam esse putant.

Ad eandem sententiam accedit Stolz[8]) qui nonnullos locos affert quibus apud Lucretium *haurire* aspiratione caret; sed dubium esse contendit utrum hae lectiones antiquae sint necne. Porro Bezzenberger[9]) verbo primario *aus* a quo *haurire* et *ausa* ducta esse putat Graecum ὕειν addit. Item Walde[10]) originis explicationem quam Fick Osthoff alii attulerant rectam et aspirationem vocabuli spuriam esse dixerat.

Denique Birt vir doctissimus *haurire* aeque atque *halare* de quo postea mihi agendum est falsa aspiratione uti nonnullis locis exposuit. In libro quem de aspiratione scripsit breviter de his verbis agit et haec explicat (p. 152): „Daß in *haurire* und *halare*, *halitus* *h* spurium zu erkennen, leidet keinen Zweifel. Bei diesen Worten bleibt jedoch fraglich, wie es eindrang und ihre Geschichte ist noch zu schreiben. Jeden-

1) Vergl. Wörterbuch II p. 4; p. 293; III p. 7; Beiträge z. Kunde d. idg. Sprachen hg. v. Bezzenberger II p. 187.

2) Bezzenbergers Beiträge I p. 181.

3) Kuhns Zeitschrift XXIII p. 315.

4) Etymol. Wörterbuch d. lat. Sprache (1881²) p. 1.

5) Zur Geschichte des Perfekts im Idg. (1884) p. 486.

6) Vergleich. Grammatik der griech. u. lat. Sprache.

7) Idg. Accent- u. Lautstudien, Kuhns Zeitschrift XXXI p. 421.

8) Historische Grammatik (1894) p. 294.

9) Bezzenbergers Beiträge XXVII p. 145.

10) Lat. etym. Wörterbuch (1906).

falls läßt sich, wie ich betone, für die republikanische Zeit ein Beweis für die Existenz des *h* nicht erbringen. Die Grammatik und die Lexikographie hat somit die Schreibungen *aurire* und *alare* als die echten voranzustellen.“ Porro p. 215: „Nicht anders [als mit *haud*] steht es mit *aurire* und *alare*, und wo immer diese reine Orthographie begegnet, ist sie hoch zu halten, mag auch die Grammatik und die Schule das unechte *h* offiziell anerkannt haben.“ Praeterea p. 287 et mus. rhen. LIV p. 233 quo loco Plautum semper *haurire* sine aspiratione scripsisse ostendit de hac quaestione verba facit. Praecipue aspiratione vocabulorum quae sunt *exhaurire* et *exhalare* quam antiquis iam temporibus, cum x antecederet, enuntiatam atque scriptam esse affirmat[1]) effectum esse dicit, ut *h* littera adderetur. Sed de originis explicatione locis quos attuli non egit. Verum in seminarii consessu *haurire* idem esse atque Graecum *ἀρύειν* exposuit. Nam verba per se simillima etiam idem significare cognoscimus, si et alios locos et praecipue ea quae apud Vergilium Aen. lib. X v. 314 extant: *auro latus haurit apertum* conferimus cum Aristotel. poetic. p. 1457 B 13 ubi legitur: *χαλκῷ ἀπὸ Ψυχὴν ἀρύσας.*[2])

Aspiratio quae in *haurire* verbo legitur mihi quoque postea addita neque ad verbi originem indagandam ullius momenti esse videtur. Sed hanc sententiam quam verisimillimam esse vidimus accuratissime probari oportet.

2. De haurire et exhaurire verborum lectionibus agitur.

In inscriptionibus quas primo perscrutabor *haurire* quater, *exhaurire* semel occurrit.

Duabus in inscriptionibus aspiratio deest: C. J. L. vol. XIV 1941 = c. epigr. 336 (*aurire*); C. J. L. vol. VI 1785 (*austoribus*); quarum alteram (XIV 1941) saeculi quarti vel quinti esse concluditur, cum alteram quo saeculo incisa sit cognosci non

---

1) Der Hiat p. 268.

2) cf. Birt, mus. rhen. LXV (1910) p. 351.

possit. In reliquis duabus inscriptionibus quae *haurire* praebent aspiratum est: C. J. L. vol. V 1 n. 383: *haustrum*; V 1 n. 3849: *haustus*; quas cuius saeculi sint nescimus.

Exhaurire semel in inscriptione quae saeculi III initio incisa est (C. J. L. vol. VIII 10335) aspiratione caret: *ex austas.*

Iam vero codicum lectiones explicabo.

In Vergilii codicibus vocabula de quibus agitur raro extant.

Haurire quod apud Vergilium 17 locis legitur in antiquissimis codicibus Vaticano 3322 saec. III (F) et Vaticano saec. IV (R) in quo vocabulum 12 locis extat semper aspiratum est. In codice F *haud* quoque particulae, cum scriba grammaticorum praecepta sequeretur, semper *h* spurium additum esse vidimus. Item *haurire* verbo aspirationem addi grammatici Latini duobus locis iusserunt; quod praescriptum vol. VII [1]) p. 274, 17 in Bedae presbyteri de orthographia libro et vol. VII [1]) p. 303, 13 apud Albinum legitur. Apparet eos qui codices F et R scripserunt diligentissime hoc praescriptum secutos esse, cum illos grammaticos hanc doctrinam ex antiquorum libris qui nobis servati non sunt sumpsisse verisimillimum sit. Reliqui grammatici Latini aut de *haurire* verbo omnino non egerunt, aut scripturam non attigerunt,[2]) aut duplicem lectionem quam in codicibus inveniebant sic declarare conati sunt, ut dicerent *aurit* sine aspiratione scribendum esse, si esset *aquam levat*, *haurit* autem cum aspiratione, si esset *bibit* [3]); quibus verbis *aurire* scripturam ipsam quoque usu receptam fuisse probatur.

Quamquam nullus locus est ubi *h* spurium omnibus in codicibus desit, tamen genuinam lectionem in Vergilii libro

---

1) Gramm. Lat. ex rec. H. Keilii Lips. 1855—80.

2) v. Prisciani instit. gramm. VII, 6; VIIII, 19; X, 9; 50 ubi de verbi coniugatione agitur.

3) v. suppl. p. 291, 2: orthogr. Bernensis I.

archetypo fuisse nonnusquam probari potest. Summi momenti Aen. lib. IV v. 359 est ubi in codicibus Mediceo saec IV vel V (M) et Palatino saec. IV vel V (P) et in recentioribus saec. IX vel X γ b c aspiratio quae in F addita est deest, cum codices G et R versum non exhibeant; accedit quod in Nonii libro archetypo (p. 319, 29) genuina lectio Vergiliana fuit. Neque mirum esse mihi videtur quod hoc loco solo omnibus fere in codicibus aspiratio deest; apparet enim hoc in versu lusum syllabarum inesse. Vergilius hoc loco scripsit: *vocemque his auribus ausi* neque magis in *aurire* verbo quam in nomine quod est *aures* *h* spurium enuntiabatur vel scribebatur. Similiter poetam Aen. lib. X v. 314 (*auro latus aurit apertum*) lusum captasse facile cognoscitur. Sed hoc loco genuina lectio in codice M solo extat; praeterea Nonius Marcellus bis hunc versum affert: p. 319, 25 et p. 404, 14; altero loco in optimo codice Gen. solo, altero in libro archetypo (Gen et L_1) *haurire* aspiratione caret, cum apud Gellium (lib. II 6,4) omnibus in codicibus aspiratum sit. Dubitari non potest, quin his locis de quibus Birt mus. rhen. LIV p. 233 breviter egit aspiratio defuerit, cum poetam ipsum *aurire*, non *haurire* scripsisse appareat. Sed tamen scribas qui diligentius grammaticorum praeceptum sequerentur *h* spurium addidisse et falsa scriptura lusum quem fecit poeta delevisse videmus.

Praeterea *haurire* bis, in codice M solo, sine aspiratione scriptum est: Georg. IV 299 (*^{h}as^{u}tu*) ubi *h* litteram postea additam esse apparet; Georg. IV 427 ubi aspiratio in margine addita est; quo loco in Nonii libro archetypo (p. 319, 30) genuinam lectionem fuisse e consensu codicum Gen_1 pr. L concluditur.

In recentioribus codicibus quos deteriores esse constat aspiratio paulo saepius legitur: quinquies (29, 41$^0/_0$) in γ saec. IX: Georg. IV 220; 229; Aen. II 600; IV 359; X 899; bis (17, 64$^0/_0$) in codicibus b et c: Aen. II 600 ubi in b *h* spurium postea additum est (*^{h}auserit*); V 137 (b: *^{h}aurit*); quo loco in Nonii quoque libro archetypo (p. 300, 35) vocabulum aspiratione caret. In codice a semper aspiratum est.

Denique nonnulli loci a Nonio Marcello afferuntur quibus in Vergilii codicibus aspiratio semper addita est: Aen. I 738: p. 319, 21 ubi in libro archetypo *ausit* extabat; Aen. IV 383: p. 398, 15 ubi codex L optimus genuinam lectionem praebet; praeterea Georg. III 105: p. 319, 23; Aen. IV 661: p. 488, 1; XII 26: p. 219, 27 omnibus in codicibus aspiratum est.

Exhaurire quod novies apud Vergilium extat multo rarius aspiratione caret: Aen. I 599 in codicibus F P b *h* spurium quod secunda manus addidit defuisse apparet, cum in reliquis codicibus M R γ c aspiratio legatur. Quo loco genuinam lectionem in libro archetypo fuisse verisimillimum est, praesertim cum in codice F cuius scriba reliquis locis diligentissime grammaticorum doctrinam secutus est haec scriptura extet.

In reliquis codicibus antiquis semper aspiratur: Semel in G: Aen. IV 14; novies in R in quo *haurire* quoque semper cum aspiratione legitur; novies in M qui *haurire* quater sine aspiratione praebet.

Saepius in recentioribus codicibus *h* spurium deest: sexies (66, 6%) in γ saec. XI: Georg. II 398 (*ex^{h}austi*); III 309; IV 248; Aen. IX 356 (*ex^{h}austum*); X 57; XI 256 ubi secunda manus quae codicis lectionem correxit aspirationem non addidit, ut in codice antiquissimo e quo emendata lectio sumpta est genuinam scripturam fuisse appareat; quae in Nonii quoque libro archetypo extitisse videtur (p. 348, 20). Ter (33, 3%) in codice b saec. IX vocabulum aspiratione caret: Aen. I 599 quo loco scribam lectionem quam in P invenimus secutum esse facile cognoscitur; IV 14; X 57. Semel (11, 1%) in codice c: Aen. XI 256. In a in quo *haurire* semper aspiratum esse vidimus *exhaurire* quoque semper cum aspiratione legitur.

In Plauti fabulis verba de quibus agitur rarissime extant: semel (Merc. 55) *exhaurire* legitur, sed sine *h*; quo loco codex A deest et in codicibus Palatinis *exurire* traditum est; quam lectionem ex *exaurire* quod fuit in codice archetypo ex quo Palatinus (P) descriptus est corruptam esse apparet. Similiter

apud Nonium Marcellum (p. 348, 29) in nonnullis codicibus (B Gen H_1) *exusta* pro *exausta* scriptum est.

Praeterea Mil. gl. 34 legendum est:

. . . . . *auribus*
Peraurienda sunt quae[1]) *dentes dentiant.*

Quo loco poetam vocabulis quae sunt *aures* et *peraurire* item ac verbis *dentes* et *dentire* ludere apparet. Conferenda sunt quae supra de Vergilio dixi apud quem eundem lusum syllabarum invenimus. Antiquis iam temporibus *peraurienda* in *peraudienda* corruptum est, cum et in codice A et in B D falsa lectio extet. Sed *peraurienda* quod in C recte traditur in antiquissimis codicibus fuisse concedes; nunquam enim fieri potuit, ut ullus scriba qui *perhaurienda* in libro archetypo legit hanc lectionem in *peraudienda* mutaret.

Contra in glossariis Latinis verba saepissime occurrunt.

Quibus in glossariis *haurire* quod 64 locis extat saepissime aspiratione caret.

Raro genuina lectio sola extat: In glossis 'Ab absens' quae in codice Leidensi 67 F saec. VIII/IX leguntur vocabulum de quo agitur bis sub A littera affertur: vol IV p. 406, 41: *Aurit implet percutit*; p. 406, 44: *Ausit sorbuit*, cum sub H littera *haurire* omnino non legatur. Quibus in glossis *haud* quoque particulam non nisi sub A littera insertam et sine aspiratione scriptam esse vidimus. Item semel in excerptis ex glossis Aynardi quae in codice Mettensi saec. XI extant vocabulum sub A littera insertum est: vol. V p. 615, 14: *Aurio est anclo id est aquor vel video vel vulnero.*

Saepissime in uno eodemque glossario duplex scriptura legitur, cum *haurire* sub A et H litteris insertum sit. In glossis quae in codice Vaticano 3321 saec. VII/VIII et in quattuor codicibus saec. IX traditae sunt verbum ter sub A littera affertur: vol. IV p. 23, 37: *Aurit audit uel oret*; quae glossa in Vaticano solo extat; p. 23, 50: *Ausi percepi*; p. 23, 52:

---

1) Codd. habent *ne*; Birt scripsit *quae*; cf. mus. rhen. XL p. 258; LIV p. 233; Der Hiat p. 152.

Ausisti potasti, sexies sub H littera cum aspiratione legitur. In codice Sangallensi 912 saec. VIII et in tribus codicibus saec. X vel IX *haurire* ter sub A littera: vol. IV p. 209, 25: *Austa putta*; p. 209, 26: *Ausat gustavat*; p. 209, 43: *Aurire sumere implere,* quater sub H littera insertum est.

Porro in glossis codicis Leidensis 67 F saec. VIII/IX *haurire* sub A et H litteris affertur. In glossis 'Abavus' quas quinque codices saec. IX ex Leidensi descripserunt vocabulum bis sub A littera: vol. IV p. 312, 32: *Aurire implere vivere sumere*; p. 312, 39: *Austa eporata,* bis sub H littera occurrit. In glossis 'Affatim' verbum sexies sub A littera legitur: vol. IV p. 472, 32: *Austa potata*; p. 485, 1: *Aurit implet aperitur*; p. 485, 2: *Aurire bibere*; p. 485, 3: *Austa potata*; p. 485, 38: *Ausi percepi*; p. 486, 35: *Auxerat gustaverat,* cum quinquies sub H littera aspiratum sit. Quae glossae aut ad verbum inter se consentiunt (cf. vol. IV p. 472, 32 et p. 485, 3 cum p. 523, 36: *Hausta epotata*), aut vocabulum eandem significationem habere demonstrant sive sub A sive sub H littera affertur (cf. p. 485, 1 et p. 485, 2 cum p. 523, 33: *Hauritur bibitur potatur implet* et p. 523, 34: *Hauxit implivit bivit*).

In excerptis ex libris glossarum quae in codice Parisino 11529. 11530 saec. VIII/IX et Vaticano Palatino 1773 saec. X extant *haurire* semel sub A littera: vol. V p. 170, 7: *Austra id est et rota ab auriendo aqua dicta,* quater sub H littera affertur.

In glossario Amploniano secundo quod in codice saec. IX legitur *haurire* ter sub A littera insertum est: vol. V p. 269, 48: *Austis potatis inanitis*; p. 269, 54: *Austus fluenta*; p. 270, 5: *Aurire liberare erigere,* cum septies sub H littera aspiratio legatur. Quibus e glossis una quam grammaticorum praescriptum praebere puto magni momenti esse mihi videtur: p. 299, 36: *Haustum sic loquitur.* Nam glossa ea ratione sola intellegi potest, ut *haurire* cum aspiratione enuntiari iussum sit. Aliter huic glossae sensum supponi non posse mihi persuasi, quamquam quod subaudiendum est nomen eius qui

Haustum loquitur i. e. enuntiat mirum esse concedo; sed enim *loquitur* pro passivo „wird gesprochen“ accipiebat glossator. Qua e glossa cognoscitur grammaticorum doctrinam de qua supra egi illo tempore quo glossarium Amplonianum secundum confectum est, i. e. ante saeculum nonum quo codex scriptus est, multum valuisse. Sed tamen genuinam scripturam atque enuntiationem hoc quoque tempore in usu mansisse inde concludo, quod hoc grammaticorum praescriptum in glossario affertur et *haurire* in eodem glossario sub A littera ter aspiratione caret.

Denique in glossario Amploniano primo quod in duobus codicibus saec. IX extat *haurire* semel sub A littera: vol. V p. 342, 1: *Auserunt noumun*, semel sub H littera legitur.

Praeter hos locos quibus de *haurire* verbo sub A et H litteris agitur bis aspiratio deest. Semel in codice Harleiano 5792 saec. VIII qui glossas Graeco-Latinas exhibet genuina lectio occurrit: vol. II p. 231, 5: *Ἀντλητήριον auritorium*; quo loco in codice Laudunensi 444 saec. IX qui easdem glossas atque Harleianus continet aspiratio addita est. Porro semel in glossis Servii grammatici quae in codice Harleiano 2773 saec. XII extant non aspiratur: vol. II p. 511, 38: *Hic austus. eanthlia.*

Quin etiam uno loco *haurire*, quamquam sub H littera insertum est aspiratione caret. Quam glossam summi momenti esse puto; extat in excerptis glossarum quae in codicibus Parisino 11529. 11530 saec. VIII/IX et Vaticano Palatino 1773 saec. X tradita sunt: vol. V p. 207, 3. In codice Parisino hoc loco *haurire* quater sine aspiratione, quinquies cum aspiratione scriptum est, cum in Vaticano Palatino septies aspiratio desit et bis addita sit. Declaratur hoc loco quid verbum de quo agitur significet et afferuntur Vergilii versus qui vocabuli significationes ostendant. Primum *haurire* videndi, deinde audiendi, tum animadvertendi, porro adtrahendi et reprimendi, denique bibendi significationem habere explicatur. Sic eum qui glossarium confecit quaestionem instituisse videmus, ut primum explicaret quid vocabulum de quo sub H

littera agit significare posset, deinde exempli causa Vergilii locum afferret. Quod quo facilius perspiciatur uberius de hac glossa agam. Sic glossa interpretanda est: *Hausit* (has significationes habet: 1.) *vidit virgilius ut* (i. e. exempli causa Vergilii versum affero) *auriat hunc oculis* (Aen. lib. IV v. 661); *hausit* (2.) *audivit ut vocemque his auribus ausit* (Aen. lib. IV v. 359); *hausit* (3.) *animadvertit ut simul hoc animo [h]ausit*[1]) (Aen. lib. XII v. 26); *autsit* (= [h]ausit : 4.) *adtrahit reprimit* (exemplum non affertur); *hausit* (: 5.) *bibit ut nunc ille inpiger ausit* (Aen. lib. I v. 738). Omnibus locis quibus Vergilii versus exscripti sunt *haurire* in utroque codice aspiratione caret excepto illo loco de quo uberius egi. Unde concludendum est eum qui glossam confecit in antiquo Vergilii codice quo usus est *haurire* semper sine aspiratione scriptum invenisse. Ipse autem de vocabulo sub H littera egit, cum grammaticorum praeceptum sequeretur.

Exhaurire verbum compositum quod in glossis Latinis 29 locis extat fere semper aspiratione caret.

In omnibus fere glossariis semper aspiratio deest: quater in glossis codicis Vaticani 3321 saec. VII/VIII quem optimum esse supra dixi; quae glossae a quattuor codicibus saec. IX descriptae sunt: vol. IV p. 68, 17: *Exaustus consumptus inanis*; p. 68, 40: *Exaurent consument*; p. 70, 23: *Exaustum perfectum*; p. 70, 47: *Exausta evacuata*; quater in glossis codicis Sangallensis 912 saec. VIII: vol. IV p. 234, 3: *Exaustis evacuatis*; p. 234, 50: *Exaustis vacuis defectis*; p. 235, 8: *Exaustant exauriunt*; p. 236, 10: *Exaurit evacuat.* Recentiorum codicum qui saeculo IX vel X has glossas excepta una, p. 234, 50,

---

1) Hoc loco *haurire* in codice Parisino cum aspiratione, in Vaticano Palatino sine aspiratione legitur. Sed postea *autsit* (i. e. *ausit*) in utroque codice extat et reliquis locis qui e Vergilio afferuntur aspiratio deest, cum *hausit* verbum cuius significationes sub H littera explicantur semper aspiretur. Quibus de causis in Harleiano hoc loco vocabuli lectiones inter se permutatas esse apparet, ut rectius sic scribatur: *simul hoc animo ausit; hautsit (= hausit) adtrahit . . .*

quam omiserunt ex Sangallensi descripserunt nonnulli aspirationem addiderunt, quod semper, i. e. ter, factum est in codice Vaticano 1469 saec. X (b), bis (p. 234, 3; p. 236, 10) in Cassinensi 128 saec. X (a), cum in Ambrosiano B 31 saec. IX (c) semper aspiratio desit. Quater in glossis codicis Leidensis 67 F saec. VIII/IX genuina lectio extat: vol. IV p. 337, 59: *Exaurit evacuat* (in glossis 'Abavus'); p. 441, 2: *Exausta explicata* (in glossis Vergilianis); p. 508, 39: *Exaustus perfectus* (in glossis 'Affatim'). In recentioribus codicibus qui has glossas exhibent fere semper eadem lectio tradita est. Ex codicibus qui glossas 'Affatim' continent unus (Vossianus lat. Fol. 26 (c) saec. VIII/IX) semper, i. e. bis, Bernensis 258 saec. IX (b) semel (p. 508, 40) aspirationem addidit, cum Carnotensis 299 saec. IX (a) semper *h* spurium omiserit. Porro in Placidi libris glossarum qui in codicibus Parisino 11529. 11530 saec. VIII/IX et Vaticano Palatino 1773 saec. X extant *exhaurire* ter aspiratione caret: vol. V p. 66, 12: *Exanclata exausta et quasi exangulata id est per angulos quoque exquisita*; p. 66, 13: *Exasterantibus uberum fluentibus veluti exaurientibus*; p. 66, 14: *Exausterantibus ubertim fluentibus veluti exaurientibus.* Primam manum codicis Vaticani Palatini semper verbum de quo agitur sine aspiratione scripsisse videmus, cum quinta bis (p. 66, 12 et p. 66, 14) *h* spurium addiderit. Ter in glossis quae in codice Amploniano 42 saec. IX extant genuina lectio occurrit: bis in glossario Amploniano secundo: vol. V p. 291, 36: *Exauriant consumant*; p. 292, 66: *Exaustum evacuatum*, semel in glossaria Amploniano primo: p. 357, 64: *Exaustas evacuatas*; quae glossa in codice Epinalensi 7 saec. IX qui glossarium Amplonianum primum exhibet omissa est et in codice Amploniano solo extat. Denique in excerptis ex codice Cassinensi 90 saec. X *exhaurire* semel non aspiratur: vol. V p. 568, 43: *Exanthlo exinanino exanimo exauro evacuo.*

In codice Harleiano 5792 saec. VII in quo glossae Graeco-Latinae leguntur duplex scriptura extat: vol. II p. 301, 51: *Εξαντλησις exaustus*; p. 301, 52: *Εξαντλω exhario*; in codice

Laudunensi 444 qui saeculo IX has glossas ex Harleiano descripsit utroque loco aspiratum est.

In nonnullis codicibus et glossariis quae deteriora esse facile cognoscitur semper aspiratio legitur: ter in glossis Latino-Graecis quae in codice Parisino lat. 7651 saec. IX et in quattuor codicibus saec. XII extant: vol. II p. 64, 44; p. 64, 46; p. 64, 48; semel in Stephani glossis: vol. III p. 447, 56; semel in glossis Loiselii: vol. III p. 480, 60; bis in glossis Placidi quae in tribus codicibus ex antiquissimo saeculis XVI et XV descriptis servatae sunt: vol. V p. 21, 29; p. 21, 32.

Ut ea quae uberius explicavi plane atque perspicue cognoscantur, quam brevissime exponam quotiens verba de quibus agitur in codicibus uniuscuiusque saeculi aspirata, quotiens non aspirata sint.

Haurire in antiquissimis codicibus saec. VII quater extat et semel (25 %) aspiratione caret; quae lectio ter (33,3 %) in codicibus saec. VII/VIII invenitur qui vocabulum novies exhibent; codices saec. VIII qui *haurire* 10 locis praebent quinquies (50 %) aspirationem omiserunt; in codicibus saec. VIII/IX in quibus verbum 42 locis legitur 21 locis non aspiratum est (50 %); in codicibus saec. IX *haurire* 108 locis extat et genuina lectio 44 locis (40,7 %) invenitur; codices saec. X in quibus vocabulum 27 locis occurrit *h* littera 14 locis (51,8 %) addita non est; codices saec. XII *haurire* novies praebent et semel (11,1 %) sine aspiratione scripserunt. Accedit, quod genuina lectio in optimis codicibus sola extat; praeterea in Vergilii quoque codice antiquissimo quo is qui glossas codicis Parisini 11529. 11530 confecit usus est aspiratio non legebatur.

Exhaurire fere semper aspiratione caret; quae lectio in codicibus saec. VII qui vocabulum bis praebent semel extat (50 %) et semper in codicibus saec. VII/VIII (quater) et saec. VIII (quinquies) invenitur. Codices saec. VIII/IX *exhaurire* novies exhibent et septies (77,7 %) *h* spurium omiserunt; in

codicibus saec. IX in quibus vocabulum 44 locis legitur aspiratio 36 locis deest (81,8 %); in codicibus saec. X in quibus verbum 10 locis extat quater aspiratum non est (40 %); denique in codicibus saec. XII semper (duodecies) aspiratio addita est. Quibus in glossariis cum in optimis codicibus semper et in reliquis quoque fere semper *exhaurire* aspiratione careat, dubitare non potest, quin haec fuerit genuina et antiqua vocabuli scriptura.

Apud Terentium verba de quibus agitur non extant.

Contra in Livii libris XXI—XXX vocabula nonnusquam legi. *Haurire* semper, i. e. duodecies, in codice Puteano saec. VI aspiratum est. *Exhaurire* quod quater decies in hoc codice invenitur quater (lib. XXI c. 21, 8; c. 30, 9; XXII c. 32, 5; c. 61, 2) aspiratione caret. Quam lectionem in libris XXI et XXII extare videmus, cum in reliquis semper *h* spurium additum sit. Apparet eum qui codicem scripsit initio diligentius librum archetypum descripsisse et genuinam lectionem posuisse, deinde, in insequentibus libris, praecepta grammaticorum esse secutum. Quem scribam *haud* particulam scribentem idem fecisse supra p. 26/27 exposui.

In codicibus qui carmina Anthologiae Latinae continent *haurire* et *exhaurire* paulo rarius leguntur.

In codice Salmasiano nunc Parisino 10318 saec. VII vel VIII *haurire* quinquies: c. 170 v. 245; c. 204 v. 4; c. 237 v. 7; c. 284 v. 1; v. 4, *exhaurire* bis: c. 11 v. 50; c. 17 v. 405 extat; quibus locis omnibus verba aspirata non sunt.

Item in codice Vossiano Q 86 saec. IX *haurire* semper, i. e. semel (c. 467 v. 5), aspiratione caret, cum *exhaurire* omnino non legatur.

Dubitari non potest, quin codices Salmasianus et Vossianus quos genuinam *haud* particulae lectionem praebere supra vidimus ex optimo libro archetypo descripti sint.

Praeterea in codice Ortensi nunc Escorialensi R II 18 saec. VII—VIII quem Riese optimum esse dicit *haurire* semel (c. 484 v. 7) extat et sine aspiratione scriptum est; item in

Vindobonensi 16 olim Bobiensi saec. VIII—IX optimo (Riese): c. 486 v. 66, in Palatino 1753 saec. IX—X: c. 719[a] v. 33 genuina lectio verbi quod semel in his codicibus legitur nobis occurrit.

Exhaurire semel (c. 718 v. 10) in codice Parisino 13026 olim Sangermanensi 1188 saec. IX extat et aspiratione caret.

In Lucretii codicibus verba de quibus agitur rarissime inveniuntur.

Haurire novies extat; semel, lib. V v. 516, omnibus in codicibus aspiratio deest et *austrum* legitur, ut dubitari non possit, quin haec fuerit lectio codicis archetypi. In codicibus Nonii Marcelli qui de *austris* agit et hunc Lucretii versum affert (p. 13, 5) *h* spurium bis omissum est; quam lectionem in libro archetypo fuisse apparet. Verisimillimum est eos qui codices quibus utimur ex antiquissimis descripserunt eo, quod *austrum* nomen ignorabant, adductos esse, ut codicis archetypi lectionem reciperent neque aspirationem adderent.

Praeterea semel (lib. IV v. 3) in codice oblongo saec. IX *haurire* non aspiratur (22,2 %); quem versum Nonius Marcellus p. 319, 12 affert ubi in codice L_1 solo genuina lectio extat, cum in reliquis aspiratum sit. In quadrato saec. X *haurire* bis aspiratione caret: lib. V v. 1069; VI v. 141 (33,3%).

Exhaurire semel apud Lucretium legitur: lib. VI v. 1140; quo loco in oblongo solo *h* spurium deest.

In codice qui Iuvenalis saturas continet, Montepessulano 125 saec. IX, *haurire* bis et *exhaurire* bis extant et cum aspiratione scripta sunt.

In Persii saturis vocabula de quibus agitur non leguntur.

Contra in Horatii sermonibus et epistulis *haurire* quinquies invenitur; quibus locis omnibus aspiratio legitur nisi quod Serm. lib. I 2, 79 in codicibus Harleiano 2725 saec. IX—X (δ) et Parisino 7972 saec. IX—X (λ) *h* littera deest.

Exhaurire apud Horatium semel occurrit: Epod. V v. 31 ubi in codicibus Monacensi 14685 saec. XI (C) et Harleiano 2725 saec. IX—X (δ) aspiratio omissa est, cum in reliquis *h* spurium additum sit.

Paulo rarius in Senecae tragoedis *haurire* et *exhaurire* extant. *Haurire* omnibus in codicibus excepto Laurentiano semper, i. e. vicies ter, aspiratum est. In codice Laurentiano saec. XI (E) qui, cum Octaviam non contineat, vicies vocabulum exhibet semel aspiratio deest: Phaedr. v. 695.

Exhaurire ter, in E, bis legitur et semper aspiratur.

Aliter res se habet in Nonii Marcelli codicibus qui verba paulo saepius exhibent.

Nonium qui in Compendiosa doctrina singulas voces de quibus agit ordine alphabethico affert sexies varias significationes verbi *haurire* exponere et sub H littera vocabulum inserere videmus: p. 319, 12; 17; 22; 25; 27; 32. Apparet tertio saeculo quo Nonium Compendiosam doctrinam scripsisse constat grammaticorum praecepta tantum valuisse, ut Nonius de *haurire* verbo sub H littera agere cogeretur; tamen saepissime his ipsis locis quibus sub H littera de vocabulo verba facit in libro archetypo aspirationem defuisse ex optimorum codicum consensu cognoscitur. Hoc inde explicatur, quod Nonius, cum ex antiquissimis codicibus exscriberet versus quos e Vergilio aliis afferebat, genuinam lectionem quam in his codicibus inveniebat in librum suum recepit.

In libro archetypo *haurire* decies aspiratione caruisse cognoscimus: p. 13, 5 ubi omnibus in codicibus qui caput primum exhibent (L G H Bamb. Lugd.) haec lectio extat; p. 300, 35: *aurit* Gen_1 L_1; quo loco in Vergilii codicibus aspiratum est; p. 317, 8: *aurire* L_1 H_1 Gen; p. 319, 15: *aurire* G, pr. L; p. 319, 19: *ausit* Gen_1 L; apud Vergilium hoc loco omnibus in codicibus *h* spurium additum est; p. 319, 30: *ausit* Gen_1, pr. L; ubi in omnibus Vergilii codicibus exepto antiquissimo F aspiratio deest; p. 319, 32: *auserat* Gen_1 pr. L; quae lectio in Vergilii codice M invenitur; p. 404, 14: *aurit* Gen_1 L_1 ubi in Vergilii quoque codice M aspiratio deest. Eundem versum (Aen. lib. X v. 314) a Nonio Marcello p. 319, 25 allatum esse videmus, sed hoc loco omnibus in codicibus excepto Genevensi (Gen) aspiratio legitur. Quattuor locis (p. 319, 15;

19; 30; 32) *haurire* in libro archetypo sine aspiratione scriptum erat, quamquam Nonium sub H littera de vocabulo agere videmus.

Nonnusquam *haurire* in uno codice optimo solo aspiratione caret, cum in reliquis *h* littera addita sit: ter in codice L: p. 319, 14 ubi in oblongo qui Lucretii libros exhibet eadem lectio extat; p. 398, 17 ubi in omnibus Vergilii codicibus aspiratum est; p. 483, 3 ubi in codice Bamb. quoque genuina lectio invenitur, cum in HG *haurire* scriptum sit. Porro in codice G semel *h* spurium omissum est: p. 319, 25 quo de versu supra verba feci.

Exhaurire quater apud Nonium Marcellum extat; ter in codice archetypo genuinam lectionem fuisse facile demonstratur: p. 103, 1 omnibus in codicibus prima manus *exauriam* scripsit; in codicibus HG Bamb. aspiratio postea addita est; p. 319, 12 in Gen et L *h* spurium deest, quamquam de *haurire* verbo sub H littera agitur; in reliquis codicibus BHG hoc loco aspiratum est; p. 348, 29 in L *exausta* legitur, cum codices BGH *exusta* praebeant; dubitari non potest, quin hoc loco genuina lectio quae in Vergilii codicibus γ et c occurrit in Nonii libro archetypo fuerit. Praeterea p. 68, 12 in codicibus G et Bamb. *exhaurire* aspiratum non est, cum in reliquis *h* littera addita sit.

Raro in Ciceronis libris philosophicis verba de quibus agitur extant.

In antiquis codicibus, velut in palimpsesto Vaticano qui semel (De republica lib. I, 66) *haurire* exhibet, et in optimis codicibus Vindobonensi n. 189 saec. X, Leidensi Vossiano n. 84 saec. XI et n. 86 saec. XII in quibus *haurire* octies et *exhaurire* bis invenitur, semper aspiratio addita est. Quibus in codicibus saepe genuinam *haud* particulae lectionem extare supra vidimus. Apparet eum qui librum archetypum codicum Vindobonensis n. 189 et Leid. Voss. n. 84 et n. 86 scripsit diligentissime grammaticos qui aspirationem addi iusserunt secutum esse, cum ea quae de *haud* particulae aspiratione

scripta sunt neglegeret. Iu codice archetypo genuina verborum lectio extabat quae ab iis qui saeculis XI et XII codices qui servati sunt descripserunt recepta est; nam in codice Leidensi n. 118 saec. XII qui proxime ad hos accedit et eosdem Ciceronis libros excepto Lucullo continet *haurire* bis aspiratione caret: De div. lib. II, 31; De leg. lib. I, 17.

Praeterea in duobus codicibus, Gudiano n. 294 saec. X—XI et Regio Parisino n. 6332 saec. IX qui Tusculanarum disputationum libros continent *haurire* bis sine aspiratione legitur: lib. II, 20; V, 101, cum reliquis locis (ter) aspiratio addita sit. In reliquis codicibus in quibus verba de quibus agitur bis aut semel aut omnino non inveniuntur semper aspiratio legitur.

Iam vero de codicibus qui Gellii Noctium Atticarum libros exhibent agendum est.

Haurire in codicibus qui libros I—VIII continent semel legitur et aspiratum est, cum in reliquis Gellii libris ter extet; in codice acad. Lugd. Bat. Voss. F 112 saec. X (X) semel genuina lectio invenitur: lib. IX c. 13, 17, cum reliquis in codicibus *h* spurium semper additum sit.

Exhaurire bis in codicibus qui libros IX—XX praebent nobis occurrit; in codicibus Christinae in Vat. I 597 saec. X et acad. Lugd. Batt. Voss. F 112 saec. X semel aspiratio deest: lib. XI c. 13, 10, cum in reliquis codicibus semper corrupta lectio inveniatur.

Denique in Catonis De agricultura libris (ed. Keil) semel *dehaurire* legitur: c. 66; quo loco optimi codices P A b genuinam lectionem praebent. Nam in codice Marciano (P) cuius lectiones Politianus in prima editione (a. 1471) adnotavit, in Parisino 6842 (A) saec. XIII in., in Laurentiano 51, 2 (b) qui saec. XIV ex Marciano descriptus est *deorito* extat quod Catonem pro *deaurito* scripsisse apparet; in recentiore codice (c) aspiratum est et *dehorito* legitur.

Postremo liceat mihi ea quae uberius exposui paucis verbis contrahere.

Haurire cum aspiratione scribi grammatici Latini iusserunt. Sed tamen vocabulum in duabus inscriptionibus quarum una saeculo quarto vel quinto incisa est aspiratione caret. Item genuinam lectionem in nonnullis codicibus antiquis extare vidimus: ter in Vergilii codice M solo; semper (quinquies) in Salmasiano; semel in nonnullis aliis codicibus optimis qui carmina Anthologiae Latinae exhibent; bis in Lucretii libro archetypo et semel in codice oblongo solo; decies in Nonii libro archetypo, quamquam sex locis sub H littera de *haurire* verbo agitur; ter in Nonii codice L solo et semel in Gen solo; semel in optimis codicibus qui Catonis de agricultura librum continent. Nonnullos codices quos deteriores esse et rarissime genuinam vocabuli lectionem praebere vidimus omisi.

Quamquam *haurire* raro apud scriptores Latinos extat, tamen ex optimorum codicum lectionibus cognoscitur in antiquis codicibus genuinam lectionem saepe extitisse; quae scripturae summi momenti sunt, cum scribas, quamquam grammatici aspirationem addi iubebant, hanc lectionem e libro archetypo sumpsisse appareat.

Accedunt duo Vergilii loci quibus lusum syllabarum inesse negari non potest: poeta semel (Aen. lib. IV v. 359) vocabulis quae sunt *aurire* et *aures* et semel (Aen. lib. X v. 314) *aurire* et *aurum* lusum facit (vide supra p. 47). Unde apparet aspirationem quae a nonnullis scribis his quoque locis addita est spuriam esse.

Denique e glossariis Latinis optime cognoscitur genuinam *haurire* verbi lectionem aspiratione carere. Quibus in glossariis non modo saepissime aspiratio deest et *haurire* sub A littera insertum est, sed etiam iis locis quibus Vergilii versus afferuntur, quamquam sub H littera de vocabulo agitur, *h* spurium omissum est.

Neque dubitari potest, quin *exhaurire* falsa cum aspiratione scribatur.

Quo in verbo *h* litteram esse auditam certum est. Aliter enim *exhaurio* enuntiari non potest, cum *x* littera efficiat, ut

spiritus addatur (v. Birt, Der Hiat p. 267/8). Tamen scribas saepissime *exaurio* posuisse vidimus; quos *aurire* scriptura quam genuinam esse demonstravi apparet adductos esse, ut *h* spurium omitterent.

Exhaurire semel in inscriptione saec. III occurrit et aspiratione caret. In codicibus quoque saepissime genuina lectio invenitur: semel in Vergilii librorum archetypo; quater in codice M solo; semper (semel) in Plauti libro archetypo; quater in Livii codice Puteano; semper (bis) in Salmasiano; semel in Lucretii oblongo; ter in Nonii libro archetypo, cum semel in codicibus G et Bamb. solis haec lectio extet.

Praeterea lectionibus quas glossaria Latina praebent demonstratur *h* litteram falso additam esse; nam in optimis glossariis et codicibus semper et in reliquis quoque saepissime aspiratio deest.

Accedit denique Mil. gl. v. 34 ubi poetam vocabulis quae sunt *peraurire* et *aures* ludere apparet et in libro antiquissimo *peraurire* aspiratum non fuisse cognoscitur.

E regionibus in quibus codices scripti sunt declarari non potest quod aspiratio verbis de quibus egi saepissime deest, praesertim cum in omnibus fere codicibus qui glossaria Latina exhibent hanc lectionem extare videamus.

Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin aspiratio quae vocabulis quae sunt *haurire* et *exhaurire* additur falsa sit.

Eo facilius coniecturae adsentiar qua *haurio* latinum et graecum *ἀρύω* ex eadem origine provenisse dictum est (v. supra p. 45).

III. De aspiratione vocabulorum quae sunt halare, exhalare, anhelare agitur.

1. De verborum origine quid viri docti scripserint explicatur.

Virorum doctorum qui de verbis quae sunt *halare* et *anhelare* scripserunt alii utriusque vocabuli originem explicaverunt neque de *anhelare* verbo composito egerunt, alii de praepositione quae in verbo composito occurrit verba fecerunt. Qui omnes praeter Thurneysenum aspirationem genuinam non esse putant.

Nonnulli v. d. de utroque verbo *halare* et *anhelare* egerunt. Quorum primus Fick[1]) hanc quaestionem persecutus est; a verbo primario *an* ex quo Graecam vocem *ἄνεμος*, Latinam *animus* ortam esse constat[2]) *alum* quoque nomen quod est Germanice *wilder Knoblauch* derivat; quo ex nomine *halare* et *anhelare* orta esse dicit.[3])

Quam sententiam secutus est Osthoff[4]) qui contendit a nomine *alum* derivatum esse verbum *alare* atque ex verbo

---

1) Vergleichendes Wörterbuch der idg. Sprachen (1874—76³) I p. 268; p. 485; II p. 15.

2) cf. Th. Benfey, Orient und Occident I (1862) p. 193; Bopp, Vergleichende Grammatik (1857²) I p. 235; Bopp, Glossarium comparationum linguae Sanscritae (1867³) p. 9a.

3) l. l. I p. 485; II p. 15; quibus locis haec verba facit: „*an-êl-us* schnaufend, *âlâre*, *anêlâre* hauchen, athmen."

4) Zur Geschichte des Perfekts (1884) p. 115 et praecipue p. 495 ubi de aspiratione quae nonnullis verbis falso addita est agitur et declaratur qui effectum sit, ut *h* spurium oriretur; v. quae Blass in libro qui inscribitur: Über Aussprache des Griechischen (1882²) p. 79 et 80 explicat.

principali *an-ănlo-s* factum esse *an-ênlo-s*, unde *anēlus* ortum sit. Porro Brugmann[1]) originis explicationem quam Osthoff exposuit affert; qui v. d. *alum* a verbo primario *an-slo* vel *ans-lo* non, ut ait Osthoff, *an-lo* ortum esse putat. Idem Fröhde[2]) sentit qui illud nomen quod primigenium esse contenderat falso fictum esse dicit, cum ex *anhenlo* nihil nisi *anhello*, nunquam *anhêlo* oriri potuerit.

Contra hanc verborum originem falsam esse Ploix[3]) contendit; fieri enim non posse putat, ut *anhelare* ex eodem verbo principali *an* ex quo *animus* nomen ortum sit derivetur. Sed Stolz[4]) *halare* cum *alum* nomine cohaerere et falsa aspiratione uti dicit; neque aliter Walde[5]) iudicat qui sub vocibus quae sunt *alium*, *animus*, *anhelo*, *halo* contendit *halare* a verbo primario **anslo* cui postea aspiratio addita sit derivatum esse.

Nonnulli autem v. d. de verbo composito *anhelare* solo egerunt et huius vocabuli originem investigare conati sunt. Quorum plurimi *anhelare* derivatum esse ab *halare* verbo simplici putant, cum *an* praepositionem additam esse dicant. Primus Döderlein[6]) hanc praepositionem eandem esse ac Graecam ἀνά contendit. Sed Pott[7]) praepositionem ex *amb* eodem modo atque in *anceps* derivatam esse explicat, ut *anhelare* „ambobus lateribus (pulmonibus) halare, i. e. vehementer" significet.

---

1) Grundriß der vergleichenden Grammatik der idg. Sprachen (1886) I p. 177.

2) Zur lat. Lautlehre: Bezzenbergers Beiträge XVI (1890) p. 186.

3) La préposition grecque ἀμφί: Mémoires de la Société de Linguistique de Paris; Tome huitième (1894) p. 385.

4) Hist. Grammatik p. 294.

5) Lat. etymol. Wörterbuch (1906; 1911²).

6) Lateinische Synonyme u. Etymologien (1836) V p. 93.

7) Etym. Forschungen (1859²) I p. 306.

Cum nonnulli v. d. sententiam quam Döderlein primus attulit sequerentur[1]), Ziemer hanc originis explicationem falsam esse contendit.[2]) Qui v. d., postquam uberius quae de *anhelare* verbi origine scripta essent exposuit, *an* praepositionem ex *am-*, *amb-* quod cum Graeca voce ἀνά cohaerere non possit ortam esse dicit.

Reliqui autem v. d. ad sententiam quam Döderlein exposuit accesserunt neque ea quae Ziemer explicavit probaverunt, velut Delbrück,[3]) Corssen,[4]) v. Planta[5]) qui ea quae Ziemer contenderat incerta atque falsa esse dicit.

Aliter Bréal cuius librum inspicere non potui de *an* praepositione quae *halare* verbo addita est iudicat; cuius v. d. de sententia Thurneysen[6]) qui uberius exposuit quid v. d. de origine vocabulorum quae sunt *halare*, *anhelare* scripserint haec explicat: „Nicht wahrscheinlich ist Bréals Vermutung, in *an-* stecke die Privativpartikel, *anhelus* sei also eigentlich „atemlos"; denn jene lautete im Lateinischen immer *in-*, und eine Entlehnung aus einem italischen Dialekt, oder gar, wie Bréal andeutet, aus dem Griechischen anzunehmen, liegt kein Grund vor."

Quibus ab originis explicationibus omnibus aliena est ea quam Thurneysen[7]) affert. Qui v. d., quamquam in Thesauro linguae Latinae vol. II p. 65—68 ubi de *halare* et *anhelare* verbis et de praepositione *an* agit vulgarem opinionem quam „videri" veram esse dicit solam affert, hoc quidem loco[7])

---

1) v. Curtius, Grundzüge der griech. Etymologie p. 306; R. Nadrowski, Neue Schlaglichter auf dunklen Gebieten d. griech. u. lat. Etym. (1882²).

2) Berl. Philol. Wochenschrift 1888 p. 1638; Wochenschrift f. klass. Philol. 1889 p. 1094.

3) Vergleichende Syntax der idg. Sprachen (1893) p. 734.

4) Über Aussprache, Betonung u. Vokalismus d. lat. Sprache (1869²) II. p. 564.

5) Grammatik der oskisch-umbrischen Dialekte (1897) II. p. 455.

6) Archiv f. lat. Lexikogr. XIII (1904) p. 21.

7) Archiv f. lat. Lex. XIII p. 21.

halare et *anhelare* inter se cohaerere negat. Quam ad sententiam se eo adductum esse dicit, quod fieri non possit, ut Graecum ἀνά in Latinum *an* commutetur. Sed *an(h)elare* ex verbo primigenio *an* ortum esse contendens haec explicat: „Aus *anhelare* allein würde ich aber auf eine italische Praeposition *an-* nicht zu schließen wagen. Vielmehr gewinnt dann die Ansicht an Wahrscheinlichkeit, die zuvor Fick angedeutet hat. Er schreibt schlechtweg *anelus anelare*, was gegen die gute handschriftliche Überlieferung ist, und stellt *an-* zu der Wurzel, die im lat. *anima*, *animus*, im Verbum altind. *ániti* „atmet", got. *us-anan* „anshauchen", in altir. *anāl* kymr. *anadl* „Atem" u. a. vorliegt. Es wäre dann anzunehmen, daß die Bedeutungsähnlichkeit von *anelare* und *halare* die Einschiebung des *h* veranlaßt hätte. Das wäre der erste Schritt zur Ausgleichung beider Verba gewesen, dem als zweiter die Umbildung zu roman. *(h)alenare* gefolgt ist."

Quibus expositis apparet difficillimum esse cognitu qua via *anhelare* ortum sit; nam si *anhelare* verbum compositum esse putamus, *an* praepositio qua ratione declarari possit in dubio relinquitur. Accedit, quod nunquam *a* longum in *e* converti videmus, nisi quod semel apud Priscianum (V, 11) *subtel* ex *sub-talus* ortum esse legitur. Sin autem ea quae coniecit Thurneysen recta sunt, *anhelare* et *halare* non inter se cohaerent, sed forte accidit, ut verba eandem significationem praebeant. Quamquam hoc verisimillimum esse non videtur, tamen nonnulla huic coniecturae favere concedo. Fortasse enim *halare* cum vocibus Graecis quae sunt χάσκω et χαλάω cohaeret et genuina aspiratione utitur,[1]) cum *anhelare* sive eiusdem originis est atque *anima, animus* sive minus, certe aliam sibi postulet explicationem. Sed de his meliora sub finem in p. 80 proponentur.

Utut res se habet, perscrutando verborum lectiones quae in inscriptionibus, in optimis codicibus qui scriptorum

---

1) quod Birt coniecit in seminarii consessu (a. 1911).

Latinorum libros continent, in glossariis Latinis occurrunt hanc quaestionem quam difficillimam esse exposui solvere conabor.

2. De aspiratione vocabulorum quae sunt halare, exhalare, anhelare agitur.

In inscriptionibus verba de quibus mihi agendum est rarissime leguntur. Semel in carminibus epigraphicis quae collegit Fr. Buecheler *halare* extat: c. 688 v. 15 *(halantes)*, in sacrophago saec. V. Praeterea fragmentum amphorae inventum est (C. J. L. IV suppl. II, 5728) in quo haec leguntur: *cicer hal;* quo loco quin extiterit *halitus* vel *halare* dubium non esse nemo dicet.

Etiam in codicibus quos nunc perscrutabor *halare*, *exhalare*, *anhelare* rarissime extant.

In Vergilii codicibus quorum lectiones primo explicabo *halare* rarissime legitur. In antiquissimis codicibus F saec. III qui quater et P saec. IV/V qui quinquies vocabulum exhibet semper aspiratio addita est; quae lectio in schedis Sangallensibus antiquis (G) bis invenitur; Aen. lib. I v. 417 aspiratio Graeca ab eodem scriba addita est (*ἁlant*); quo loco scribam aspirationis defectum improbasse apparet.

Ne semel quidem *halare* in reliquis codicibus quotquot sunt aspiratione caret. Tamen Aen. lib. I v. 417 hanc lectionem in libro archetypo fuisse verisimile est; nam hoc loco in codicibus MRb prima manus *h* litteram omisit, ibidem in G spiritum postea adiectum esse vidimus.

Praeterea in codice M solo semel (Georg. lib. II v. 350) aspiratio deest, cum ter *h* littera legatur.

In recentioribus codicibus *halare* nonnusquam aspiratione caret: bis in γ: Aen. lib. IV v. 684 ubi *ʰalitus* extat et aspiratio postea addita esse videtur; Aen. lib. VI v. 420 (*alitus*) quo loco in Nonii quoque libro archetypo aspiratio deest. Semel in codicibus a et b: Aen. lib. IV v. 684;

praeterea in b: Aen. lib. I v. 417 quo de loco supra egi; semel in c: Georg. lib. IV v. 109 (*alantes*).

Exhalare in codicibus antiquis FPR semper, in F et R bis, in P ter aspiratum est. Contra in M qui ter vocabulum exhibet bis aspiratio deest: Georg lib. II v. 217 ubi in b quoque haec lectio extat; Aen. lib. VII v. 84 quo loco in γ aspiratio postea addita est.

Recentiorum codicum in γ *exhalare* bis extat; in b vocabulum ter legitur et bis sine aspiratione scriptum est: Georg. lib. II v. 217 ubi in M quoque aspiratio deest; Aen. lib. II v. 562 quo loco postea aspiratum est. In codicibus a et c qui *exhalare* ter praebent aspiratio semper invenitur.

Anhelare apud Vergilium paulo saepius legitur et fere semper cum aspiratione scriptum est.

Nam in codicibus antiquis FPR, in F et R decies, in P undecies, *h* semper servatum est. In codice M in quo vocabulum duodecies legitur semel (Georg. lib. III v. 497) aspiratio postea addita est (*an^h^ela*); quae lectio in γ quoque occurrit.

Praeterea in γ qui verbum de quo agitur duodecies praebet Georg. lib. II v. 135 *h* littera postea addita est (*an^h^elis*). In reliquis codicibus (a b c) semper, i. e. duodecies, aspiratum est. Bis, in codicibus γ: Georg. lib. I v. 250 et c: Aen. lib. VIII v. 421, aspiratio migravit, ut *hanelis* pro *anhelis* et *hanelat* pro *anhelat* legatur. Quibus locis in libro archetypo verbum cum aspiratione scriptum fuisse apparet, praesertim cum in reliquis codicibus omnibus haec lectio inveniatur.

Tres versus in quibus *anhelare* in omnibus Vergilii codicibus aspiratur a grammaticis afferuntur:

In Nonii Compendiosa doctrina extant: Aen. lib. V v. 432: p. 207, 24 ubi in libro archetypo *anhelitus* aspiratione caruisse e consensu codicum cognoscitur; Aen. lib. VIII v. 421: p. 21,14 et p. 524,2; utroque loco in omnibus Nonii codicibus aspiratio legitur.

In Gellii Noctium Atticarum libris invenitur Aen. lib. V v. 739: lib. II c. 2,15 ubi in codice Vaticano saec. XIII (V) solo aspiratio deest, cum in reliquis codicibus saec. XII vel XIII qui hunc librum exhibent aspiratum sit.

In Plauti fabulis *anhelitus* quinquies extat et semper cum aspiratione legitur, cum *halare* et *exhalare* omnino non inveniantur: Amph. v. 233 ubi codices ACV desunt et in Nonii codicibus (p. 272,34) praeter A qui *anelitu* praebet aspiratio addita est; Asin. v. 327 quem versum codices ACV non exhibent; apud Nonium (p. 198,21) eadem lectio invenitur; Epid. v. 205 qui versus in codicibus ACD non legitur; Merc. v. 114 et v. 601 quibus locis antiquissimus codex A solus deest.

Iam vero vocabula de quibus agitur saepissime in glossis Latinis extant.

Halare quod 38 locis invenitur in uno glossario dico Amplonianum primum quod in codicibus Amploniano 42 saec. IX et Epinalensi saec. IX legitur non nisi sub A littera insertum est. Quo in glossario haec lectio bis occurrit: vol. V p. 341,19: *Alitus* (sic in Amploniano; in Epinalensi legitur: *Adlitus ethem*); vol. V p. 345,11: *Alatus aura ventus* (in Epinalensi *Alitus* scriptum est).

Plurimis in glossariis *halare* et sub A littera sine aspiratione et sub H littera cum aspiratione legitur. In glossariis Latino-Graecis quae in codice Parisino lat. 7651 saec. IX et in quattuor codicibus saec XII extant vocabulum semel sub A littera: vol. II p. 14,22: *Alat* πνεει et bis sub H littera insertum est. In glossis codicis Vaticani 3321 saec. VII/VIII quem optimum esse supra exposui et in quattuor codicibus qui has glossas ex Vaticano descripserant *halare* semel sub A littera affertur: vol. IV p. 14,39: *Alant spernant*, cum vocabulum quater sub H littera cum aspiratione legatur; quibus e glossis una (p. 85,4) in Vaticano solo extat. In glossis Amplonianis secundis quae in codice Amploniano 42

saec. IX solo inveniuntur *halare* semel sub A littera aspiratione caret: vol V p. 264,43: *Alitum spiritum* et bis sub H littera aspiratur. Quarum glossarum omnes fere sensu inter se consentiunt.

Reliquis in glossariis in quibus *halare* legitur vocabulum semper sub H littera insertum et cum aspiratione scriptum est. Quae lectio semel in Idiomatis codicis Harleiani 5792 saec. VII extat, bis in Idiomatis quae in codicibus Parisino lat. 7530 saec. VIII et Neapolitano saec. VIII tradita sunt; bis in glossis codicis Sangallensis 912 saec. VIII quae a tribus codicibus saec. IX vel X descriptae sunt; septies in glossis codicis Leidensis 67 F saec. VIII/IX: ter in glossis 'Abavus' quae in quattuor quoque codicibus saec. IX extant, semel in glossis Vergilianis quas quattuor codices saec. VIII vel IX descripserunt, ter in glossis 'Affatim' quae in tribus codicibus saec. VIII vel IX leguntur; ter in excerptis ex libro glossarum quae in codicibus Parisino 11529. 11530 saec. VIII/IX et Vaticano Palatino 1773 saec. X tradita sunt; quo in glossario *halare* semel sub G littera insertum est: vol. V p. 204, 11: *Galantes sperantes.* Qua e glossa quam gravis fuerit aspiratio cognoscitur[1]); denique semel in excerptis e codice Vaticano 1468 saec. X *halare* sub H littera sola affertur.

Praeterea *halare* nonnullis locis quibus non sub H littera insertum est aspiratione caret: semel in Idiomatis quae in codice Parisino lat. 7530 saec. VIII solo extant: vol. II p. 550, 33: *hic alitus* η πνοη; semel in hermeneumatis Leidensibus quae in quattuor codicibus saec. X leguntur: vol. III p. 11, 42: ασθμα *alitus*; semel in hermeneumatis Stephani quae ex Henrici Stephani 'Glossariis duobus e situ vetustatis' (ed. a. 1573) allata sunt: vol. III p. 348, 58: *alitus* ἆσθμα; ubi vocabulum de quo agitur non sub A littera insertum esse apparet, cum glossae omnino non ordine alphabetico compositae sint.

1) Conferenda sunt quae supra dixi (p. 22) de *haud* particulae lectionibus quam in glossariis Latinis bis sub C littera insertam esse videmus.

Denique *halare* nonnullis locis quibus non sub H littera affertur aspiratum est: bis in glossis Graeco-Latinis quae in codicibus Harleiano 5792 saec. VII et Laudunensi 444 saec. IX leguntur: vol. II p. 247, 38; p. 247, 39; semel in hermeneumatis Amplonianis quae in codice Amploniano fol. 10 saec. IX extant: vol. III p. 85, 8; semel in hermeneumatis Monacensibus quae in duobus codicibus saec. XI tradita sunt: vol. III p. 174, 35.

Exhalare quod duodecies in glossis Latinis legitur uno glossario excepto semper sine aspiratione scriptum est.

Quae lectio semper, i. e. semel, in glossis Graeco-Latinis extat quae in codicibus Harleiano saec. VII et Laudunensi saec. IX inveniuntur: vol. II p. 302, 22: *Εξασθαιδινω exalo*; semper, i. e. ter, in glossis codicis Vaticani 3321 saec. VII—VIII quae a quattuor codicibus saec. IX descriptae sunt: vol. IV p. 67, 18: *Exalat anelum emittit*; p. 70, 18: *Exalantem expirantem*; p. 71, 8: *Exalat expirat redolet*; semper, i. e. semel, in glossis codicis Sangallensis saec. VIII quas tres quoque codices saec. X vel IX exhibent: vol. IV p. 234, 1: *Exalat spirat*; semper, i. e. quater, in glossis codicis Leidensis 67 F saec. VIII/IX: bis in glossis 'Abavus' quae a quinque codicibus saec. IX descriptae sunt: vol. IV p. 337, 45: *Exalat emittit spiritum*; p. 337, 46: *Exalluit effluit*; ubi omnibus in codicibus saec. IX *Exaluit* legitur; semel in glossis 'Ab absens' quae in sex codicibus saec. IX vel VIII extant: p. 411, 3: *Exalat emittit spiritum*; semel in glossis 'Affatim' quae in tribus codicibus saec. VIII/IX vel X traditae sunt: p. 509, 16: *Exaltat anhelat emittit*; in codice c saec. VIII/IX solo *Exalat* scriptum est; semper, i. e. semel, in glossario Amploniano primo quod in codicibus Amploniano saec. IX et Epinalensi 7 saec. IX legitur: vol. V p. 357, 45: *Exaltavit stanc.*

Bis in glossis Latinis aspiratio addita est: in glossis Graeco-Latinis quae in codice Parisino lat. 7651 saec. IX et in nonnullis codicibus saec. XII traditae sunt: vol. II p. 64, 49; p. 64, 51.

Contra *anhelare* quod 27 locis legitur rarissime aspiratione caret.

In glossis codicis Vaticani 3321 saec. VII/VIII et in nonnullis codicibus saec. IX qui easdem glossas continent semper (ter) aspiratio deest: vol. IV p. 18, 7: *Anelabundus multum fatigatus*; p. 67, 18: *Exalat anelum emittit*; p. 84, 39: *Halitus aura flatus vel anilitus* (in duobus codicibus recentioribus *vel anilitus* non legitur). In excerptis ex libro glossarum quae in codicibus Parisino saec. VIII/IX et Vaticano Palatino saec. X extant haec lectio bis invenitur: vol. V p. 166, 28: *Anelantissimus ad imaginem anelantis exprę̨ssus*; quo loco in codice Vaticano Palatino quinta manus utrique vocabulo aspirationem addidit.

In nonnullis glossariis *anhelare* et sine aspiratione et cum aspiratione scriptum est: in glossis Servii grammatici quae in codice Harleiano 2773 saec. XII traditae sunt aspiratio semel legitur: vol. II p. 509, 8, semel postea addita est: p. 514, 42: *Hic anhelitus*, ubi *h* superscriptum est. In glossis Latino-Graecis quae in codice Parisino lat. 7651 saec. IX et in nonnullis codicibus saec. XII leguntur *h* littera semel adest: vol. II p. 17, 53, semel deest: p. 18, 7: *Anelabundus multum fatigatus.* In glossis 'Affatim' quae in codice Leidensi 67 F saec. VIII/IX et in tribus codicibus saec. VIII/IX vel IX extant *anhelare* bis non aspiratur: vol. IV p. 476, 6: *Anelus defatigatus lassus*; p. 476, 7: *Anilitus icitatio spiritus*; quae glossa in uno codice saec. IX non legitur, cum aspiratio bis addita sit: vol. IV p. 476, 5; quae glossa in Leidensi non extat; p. 509, 16.

Reliquis in glossariis in quibus *anhelare* occurrit semper aspiratum est: sexies in glossis Graeco-Latinis quae in codicibus Harleiano 5792 saec. VII et Laudunensi 444 saec. IX leguntur; semel in Idiomatis quae in codice Harleiano saec. VII solo extant; bis in glossis 'Abavus' quae in codice Leidensi 67 F saec. VII/VIII et in quinque codicibus saec. IX traditae sunt; semel in Idiomatis quae codices Parisinus lat.

7530 saec. VIII et Neapolitanus saec. VIII exhibent; semel in hermeneumatis codicis Einsidlensis 19 saec. XVI; semel in hermeneumatis codicis Vaticani Reginae Christianae 1260 saec. X; semel in glossis codicis Sangallensis 912 saec. VII quae a tribus codicibus saec. X vel IX descriptae sunt: vol. IV p. 243, 5: *Hanelat spirat* ubi aspirationem migrasse apparet; semel in glossario quod in codice Amploniano saec. IX solo extat; semel in glossis Scaligeri.

Denique liceat mihi haec omnia breviter atque plane contrahere.

Exhalare in cuiusque saeculi codicibus exceptis duobus locis qui in codicibus saec. IX et octo qui in codicibus saec. XII extant aspiratione caret.

Halare raro sine aspiratione scriptum esse supra explicavi; quae scriptura in codicibus saec. VII qui ter et saec. VIII/IX qui quater decies vocabulum exhibent nunquam extat. In reliquis quoque codicibus fere semper aspiratio addita est, ut *halare* rarissime aspiratione careat: in codicibus saec. VII/VIII: semel (20 %); saec. VIII: semel (12, 5 %); saec. IX: ter (27, 2 %); saec. X: sexies (13, 3 %); saec. XII: quater (28, 5 %).

Anhelare paulo saepius aspiratum non est. Quamquam in codicibus saec. VII qui verbum septies et saec. VIII qui bis praebent haec lectio non invenitur, tamen in codicibus saec. VII/VIII semper (ter) aspiratio deest. Reliquis in codicibus *anhelare* et cum aspiratione et sine aspiratione scriptum est: In codicibus saec. VIII/X: sexies (60 %); saec. IX: ter (11, 5 %); saec. X: bis (50 %); saec. XII: quinquies (50 %) non aspiratum est. Accedit scriptura *hanelare* (de qua cf. etiam p. 67; 76; 77).

In Terentii fabulis et in Livii libris XXI—XXX verba de quibus agitur non extant.

In codicibus qui carmina Anthologiae Latinae continent vocabula raro leguntur.

Exhalare in codice Salmasiano semel (c. 235 v. 12) invenitur et cum aspiratione scriptum est.

Anhelare in hoc codice decies legitur; quinquies (c. 170 v. 4; c. 211 v. 5; c. 217 v. 21; c. 318 v. 1; c. 333 v. 5) aspiratio deest, quinquies (c. 23 v. 2; c. 240 v. 15; c. 253 v. 14; c. 253 v. 117; c. 270 v. 3 ubi *hanclat* extat) addita est.

Praeterea in reliquis codicibus qui carmina Anthologiae Latinae memoriae tradiderunt verba de quibus agitur nonnusquam inveniuntur:

In codice Lipsiensi rep. I 74 saec. IX—X *anhelare* semel (c. 23 v. 2) extat et aspiratum est; eandem lectionem in Salmasiano quoque hoc loco esse vidimus.

In codice Parisino 8071 olim Thuaneo saec. IX *exhalare* semel (c. 235 v. 12) legitur et aspiratione caret; quo loco in codice Vossiano Leidensi Q 86 saec. IX eadem lectio invenitur, cum in Salmasiano aspiratio addita sit. *Anhelare* in Parisino 8071 bis extat: c 217 v. 21 ubi *h* littera postea addita esse videtur (*ana*^{h}*elo*), cum in Salmasiano non aspiretur; c. 318 v. 1 ubi Parisinus eandem lectionem ac Salmasianus praebet: *anelanti*.

In codice Palatino 1753 saec. IX—X *halare* semel (c. 719^{a} v. 66) invenitur et sine aspiratione scriptum est.

Praeterea in codicibus Turicensi 78 saec. IX et Sangallensi 899 saec. X semel (c. 682 v. 7) aspiratio *anhelare* verbo deest; quo loco in Parisino 8094 saec. XI *h* littera legitur.

In codicibus Vaticano Claudiani 2809 saec. XI (V) et Ambrosiano M s 9 Claudiani saec. XIII (M) *anhelus* semel (c. 742 v. 76) extat; quo loco in V aspiratio addita est, cum in M ^{h}*anelum* legatur.

In codice Harleiano 3685 saec. XV *anhelare* semel (c. 808 v. 162) invenitur et aspiratum est.

In codicibus qui Lucretii De rerum natura libros continent verba de quibus agitur nonnusquam occurrunt.

Halare semel (lib. VI v. 221) in codice quadrato solo aspiratione caret, cum in reliquis codicibus semper, i. e. ter, et in quadrato bis aspiratum sit.

Exhalare semel (lib. V v. 463) omnibus in codicibus sine aspiratione legitur. Praeterea semel in quadrato solo *h* littera deesse videtur: lib. IV v. 864, cum Lachmann huic loco haec annotaverit: „ceterum Haverkampus, ut solet ea quae nullam utilitatem habent adferre, hic in quadrato notavit *per os exaltantur.*" Quam lectionem summi momenti esse puto, cum in libro archetypo ex quo quadratus descriptus est hoc loco aspirationem defuisse appareat. Praeterea in reliquis codicibus quater, in quadrato ter aspiratio legitur.

Anhelare semper, i. e. ter, omnibus in codicibus aspiratur.

Denique lib. VI v. 811 omnibus in codicibus *redralat* scriptum est; quam lectionem corrector oblongi in *rehalat* mutavit; sed recte hoc loco *redhalat* legi Lachmann exposuit; quam sententiam Birt [1]) secutus est qui aspirationem spuriam esse dicit.

In Persii et Iuvenalis saturis vocabula de quibus agitur raro extant.

Halare semel in Persii saturis (sat. III v. 89: *halitus*) legitur et omnibus in codicibus (A B P) cum aspiratione scriptum est; apud Iuvenalem semel (sat. X v. 238) invenitur et in codice P optimo aspiratum est.

Exhalare bis in Persii saturis extat: Sat. III v. 99 codices A B *exilante* pro *exhalante* quod in Ṗ occurrit praebent; sat. V v. 148 in codice P prima manus *exalat* exhibet, cum in A B aspiratio addita sit. Apud Iuvenalem *exhalare* semel (sat. X v. 281) invenitur et aspiratum est.

Anhelare quod bis apud Persium legitur (sat. I v. 14; V v. 10) omnibus in codicibus cum aspiratione scriptum est. Quam lectionem in Iuvenalis codice P semel (sat. VI v. 37) extare videmus.

1) Der Hiat p. 216.

In Horatii codicibus *anhelitus* semel (lib. I c. 15 v. 3) invenitur; quo loco in codice Harleiano 2725 saec. VIIII—X (δ) solo aspiratio deest, cum in reliquis *h* littera extet.

In codicibus qui Senecae tragoedias exhibent *halitus* bis (Med. v. 466; Oedip. v. 633), *anhelare* quater (Med. v. 409; Agam. v. 713; Hercul. (Oet.) v. 1131; v. 1339), *anhelitus* semel (Hercul. (Oet.) v. 1414) leguntur; quibus vocabulis omnibus in codicibus semper aspiratio addita est.

Aliter res se habet in Nonii Marcelli Compendiosa doctrina ubi verba de quibus agitur paulo saepius extant.

Halitus bis (p. 14, 13; p. 233, 2) legitur; utroque loco in libro archetypo aspirationem defuisse e consensu omnium codicum cognoscitur.

Exhalare bis apud Nonium Macellum invenitur: p. 164, 30 omnibus in codicibus *h* littera addita est; p. 279, 25 in libro archetypo verbum sine aspiratione scriptum fuisse apparet, cum in codicibus Lugdunensi saec. IX (L), Bernensi 83 saec. X (B), Guelferbitano saec. IX—X (G) haec lectio inveniatur; in codicibus Harleiano saec. IX (H), Genevenso saec. X (Gen.) hoc loco aspiratio addita est.

Anhelare octies in Compendiosa doctrina legitur: p. 207, 28 omnibus in codicibus praeter H et G qui *anhelitus* praebent et Bamb. (saec. IX/X) et Lugd. (saec. IX) qui capita III et IV non exhibent aspiratio deest, ut hanc lectionem in libro archetypo fuisse appareat; p. 233, 2 eadem lectio extat, quamquam in codicibus H et Gen *h* littera addita est; quem locum codices Bamb. et Lugd. non praebent. Praeterea *anhelitus* semel (p. 272, 35) in Bernensi 347 saec. X solo aspiratione caret, cum in reliquis codicibus et apud Plautum aspiratum sit.

In Scaenicae Romanorum poesis fragmentis *halare* semel legitur: Trg. Rom. frg.: Q. Ennii v. 154; quod fragmentum apud Diomedem invenitur. Quo loco in codice

Parisino 7494 saec. IX vel X (A) bis aspiratio deest (*alare et alitare*); item in Parisino 7493 saec. IX et X (B) verba aspiratione carent, cum in Monacensi saec. IX (M) *h* littera legatur.

Praeterea *anhelare* bis in Scaenicae Romanorum poesis fragmentis invenitur; sed de his versibus qui apud Nonium afferuntur supra verba feci.

In Ciceronis libris philosophicis vocabula raro leguntur. Semel *halitus* extat: Tusc. disp. lib. II 22 ubi omnibus in codicibus (Gudiano 294 saec. X vel IX; Regio Parisiensi 6332 saec. IX; Bruxellensi saec. XII) aspiratio addita est. Semel *exhalationes* scriptum esse videmus: Tusc. disp. lib. I 43 quo loco in codice Gudiano saec. X vel IX solo *h* littera deest, cum in reliquis codicibus aspiretur.

Anhelare quinquies invenitur: De deor. nat. lib II 112 omnibus in codicibus (A = Leid. Voss. n. 84 saec. XI; B = Leid. Voss. n. 86 saec. XII; C = Leid. n. 118 saec. XII; E = Erlangensi n. 38 saec. XV; V = Vindobonensi n. 189 saec. X) aspiratio legitur; De divin. lib. I 115 in codice H = Leid. Heinsiano n. 118 saec. XII *h* littera deest, cum in A = Leid. n. 84 et Vindob. n. 189 aspiratio migraverit (*hanelitus*); in Leid. n. 86 solo *anhelitus* extat. Quae lectio lib. II 44 et 117 omnibus in codicibus invenitur. Praeterea De officiis lib. I 131 omnibus in codicibus (Ambrosiano C 29 saec. X; Bernensi M V 1 saec. X; Herbipolitano saec. X; Bernensi n. 154 saec. X; n. 391 saec. X; n. 104 saec. XIII) *anhelitus* cum aspiratione scriptum est.

In Gellii Noctium Atticarum libris *anhelare* ter legitur, cum reliqua verba de quibus agitur omnino non inveniantur: lib. III c. 2, 15 in codice Vaticano 3452 saec. XIII solo aspiratio deest; quo loco in reliquis codicibus (P = bibl. nat. Parisin. saec. XIII; R = acad. Lugd. Bat. Gron. saec. XII) aspiratur; lib. XII c. 5, 2 in Bernensi 404 saec. XII *anelit*

extat, in codicibus bibl. nat. Parisin. 8664 saec. XIII; acad. Lugd. Bat. Voss. F 7 saec. XIV; F 112 saec. X; Christinae in Vat. I 597 saec. X; bibl. Magliabuch. olim S. Marci saec. XIV *hanelitus* pro *anhelitus* invenitur quae lectio in codice Christ. in Vat. II 1646 saec. XII occurrit; lib. XIII c. 5, 9 omnibus in codicibus quos supra enumeravi aspiratio addita est.

In Varronis De lingua Latina libris *exhalare* semel legitur: lib. V § 24 quo loco in codice Florentino (Laurent. 51, 10) saec. XI ex quo reliqui saec. XV omnes descripti sunt aspiratio deest.

In Varronis Rerum rusticarum libris *exhalare* semel invenitur et aspiratione caret: lib. II 2, 12 ubi omnibus in codicibus (Parisino 6842 saec. XIII—XII (A); Laurentiano 10, 30 saec. XIV (m); Laurentiano 51, 4 qui saeculo XV ex Marciano diligentissime descriptus est) *exalata* traditum est.

Denique liceat mihi haec omnia quae pluribus verbis exposui paucioribus comprehendere.

Quae fuerit genuina lectio vocabulorum quae sunt *halare, exhalare, anhelare* demonstrari non posse puto. Nam verba rarissime in inscriptionibus et in codicibus qui libros scriptorum Latinorum continent extant, ut genuina scriptura cognosci non possit, praesertim cum modo *h* littera addita sit, modo vocabula aspiratione careant.

Halare omnibus in codicibus quorum de lectionibus egi 55 locis invenitur; quarum lectiones plurimae in glossariis Latinis extant in quibus vocabulum 38 locis legitur; apud scriptores Latinos *halare* multo rarius adhibetur: quinquies apud Vergilium; ter apud Lucretium; bis apud Senecam, Nonium; semel apud Persium, Iuvenalem, Ciceronem, in carminibus Anthologiae Latinae, apud Diomedem (quem locum in Scaenicae Romanorum poesis fragmentis legi). Omnibus fere locis nonnullos codices deesse vidimus. Praeterea duae inscriptiones *halare* exhibent.

Plurimis locis verbum partim cum aspiratione, partim sine aspiratione scriptum est: codicum qui Vergilii libros continent

alteri semper aspirationem addiderunt (FPG), alteri diversam lectionem exhibent: in M bis, in R semel, in γ et b bis, in a et c semel aspiratio deest; quibus in codicibus saepius (in a et c quater, in M bγ ter, in R bis) aspiratum est. Item codices qui glossaria Latina exhibent diversam lectionem praebent, quamquam aspirationem multo saepius additam esse quam deesse vidimus. Codicum qui Lucretii libros continent in quadrato solo *halare* semel aspiratione caret, cum in reliquis hoc loco aspiratio legatur; quae lectio duobus locis in omnibus codicibus invenitur. Apud Diomedem duobus in codicibus *h* littera deest, in codice M solo addita est. In reliquis codicibus *halare* aut sine aspiratione aut cum aspiratione legitur: in codice Palatino 1753 saec. IX—X qui nonnulla carmina Anthologiae Latinae continet verbum semel invenitur et sine aspiratione scriptum est; quae lectio bis in omnibus codicibus qui Nonii Marcelli Compendiosam doctrinam exhibent nobis occurrit. Semper (i. e. semel) in Persii codicibus, item in Iuvenalis codice, bis in Senecae, semel in Ciceronis codicibus aspiratio addita est.

Exhalare 32 locis in codicibus quos perscrutatus sum legitur; quarum lectionem plurimae (duodecim) in glossariis Latinis extant, cum verbum in reliquis codicibus rarissime inveniatur: quinquies apud Lucretium; ter apud Vergilium; bis in carminibus Anthologiae Latinae, apud Persium, Nonium, Varronem; semel apud Iuvenalem, Ciceronem.

Saepissime huic quidem verbo aspiratio deest; tamen omnibus fere in codicibus vocabulum et sine aspiratione et cum aspiratione legi vidimus: in Vergilii codicibus F R P a c semper (in F R bis, in P a c ter) *h* littera addita est, cum in M et b vocabulum bis sine aspiratione, semel cum aspiratione, in γ semel sine aspiratione, semel cum aspiratione scriptum sit. In codicibus qui glossaria Latina exhibent *exhalare* fere semper aspiratione caruisse vidimus; tamen aspiratio bis addita est. In codicibus qui Lucretii libros continent aspiratio semel deest; praeterea in quadrato in quo

littera *h* ter addita est haec lectio extat, cum in reliquis codicibus quater aspiratum sit. In Persii codicibus A B aspiratio semel deest, semel addita est, cum in P qui Persii et Iuvenalis saturas continet vocabulum semel sine aspiratione, bis cum aspiratione legatur. Codices qui Nonii Marcelli Compendiosam doctrinam tradiderunt semel aspirationem praebent, semel omiserunt. Semper (i. e. semel) in codice Florentino qui Varronis de lingua Latina libros continet et semper (semel) in omnibus codicibus qui Varronis Rerum rusticarum libros exhibent aspiratio deest. Semper (i. e. semel) in Ciceronis codicibus omnibus verbum cum aspiratione scriptum est.

Anhelare cui rarissime aspiratio deest multo saepius in codicibus qui scriptorum Latinorum libros continent nobis occurrit: 87 locis. Saepe verbum in glossariis Latinis legitur: 27 locis; praeterea apud scriptores Latinos: duodecies apud Vergilium; decies in codice Salmasiano et quinquies in codicibus qui reliqua carmina Anthologiae Latinae exhibent; octies apud Nonium Marcellum; quinquies apud Plautum, Senecam; ter apud Lucretium, Gellium; bis apud Persium; semel apud Iuvenalem, Horatium.

Omnibus fere in codicibus diversa vocabuli lectio extat: in Vergilii codicibus F R (decies) P (undecies) a b c (duodecies) aspiratio semper addita est, cum in M vocabulum semel sine aspiratione, undecies cum aspiratione, in γ bis sine aspiratione, decies cum aspiratione legatur. In glossariis Latinis verbum raro aspiratione carere supra exposui; quam lectionem septies extare vidimus. In codice Salmasiano quinquies aspiratio deest, quinquies addita est. Apud Horatium qui verbum semel praebet in codice δ solo aspiratum non est, cum in reliquis *h* littera legatur. In Nonii libro archetypo *anhelare* bis aspiratione caret; praeterea haec lectio semel in codice A qui vocabulum quater cum aspiratione exhibet invenitur, cum in reliquis codicibus aspiratio semper, i. e. quinquies, addita sit. Semel in Ciceronis codice Leidensi n. 118 saec. XII *nhelare* sine aspiratione legitur, cum reliqui codices hoc loco

hanelat aut *anhelat* praebeant; reliquis quattuor locis quibus vocabulum in Ciceronis libris philosophicis invenitur omnibus in codicibus aspiratum est. In Gellii Noctium Atticarum libris vocabulum ter extat; semel in codice Vaticano solo, semel in Bernensi solo aspiratio deest, cum reliquis in codicibus his locis et semel omnibus in codicibus aspiratio legatur. In reliquis codicibus *anhelare* semper cum aspiratione scriptum esse vidimus: ter in Lucretii, bis in Persii codicibus, semel in Iuvenalis codice, quinquies in Senecae codicibus. De *hanelare* vide supra p. 72.

Quae cum ita sint, contendi non potest probatum esse aspirationem quae vocabulis quae sunt *halare, exhalare, anhelare* additur spuriam esse. Nam quamquam *exhalare* saepissime aspiratione carere vidimus, tamen *halare* fere semper aspiratum esse cognoscitur.

Anhelare vero quod paulo saepius nobis occurrit, adeo multo rarius sine aspiratione scriptum est, quamquam huic quidem verbo aspirationem postea additam esse omnes fere v. d. contenderunt.

Sed enim haec sub finem mihi adscripsit Birtius magister cui adspirationis historia maxime cordi est:

„*anhelare* ab *halare* separandum esse docet et *e* vocalis producta quae ex *a* longa nasci vix potuit et syllaba *an* quam praepositionem esse nemo mihi persuadebit. Sed illud *an* ne ex *animi* quidem prima syllaba derivari potest; nam nunquam certe alibi haec syllaba qua stirps continetur separatim apud Romanos propagata est. Itaque aut desperandum est aut restat unum, ut priscam et genuinam primigeniamque formam *hanelare* fuisse dicamus, unde francogallicum illud *halène* recta via profectum est. Id si ponitur, stirps cognoscitur *han, chan* exoptatissima et ad sensum patefaciendum accommodatissima; cf. *χαίνω*, germ. *gähnen*; ex *han* autem primum **hanēla* deducebatur sic ut *querela* ex *quer-*, *loquela* ex *loqu-*; unde porro *hanelare* provenit (adiectivum *anhelus* Vergilius demum sibi finxit). Perversa autem et inversa

scriptio *anhelare* unde tandem orta est? Eam cognatae vocis *halare* similitudine effectam esse confido. Nam quia in eo quod est *hanelare* illam *halandi* vocem ipsam agnosci volebant antiqui, spiritum temere transponebant. Conferri potest e. c. quod apud Livium 24, 32, 6 traditur *exhapylo* pro *hexapylo*, conferri etiam *incohare* pro *inchoare* receptum, inprimis vero *posthumus* scriptura propterea pro *postumus* adhibita, quia eum posthumum esse intellegebant qui „post humationem" patris natus est; similia v. Der Hiat p. 249. Vigent valentque in talibus erroribus popularia veriloquia. Plura autem exempla ad illam *ὑπέρθεσιν τοῦ πνεύματος* pertinentia l. l. p. 203 sq. congessi. Denique si verum est quod coniectant vocem *χήν* ad *χαίνειν* pertinere, etiam *anser* nomen cum *anhelare* cohaerebit; atque sic tandem in *ansere* spiritus amissus facillime explicatur; olim enim dixerant *hanser hanelat*; ubi *anhelare* praeferebant, *anser* ut pronuntiarent plane consectarium fuit."

His tandem viri doctissimi verbis quaestionem difficillimam solvi video neque dubito magistri qui in opusculo perficiendo me semper benignissime adiuvit hoc quoque loco summas gratias agere.

VITA.

Natus sum Siegfriedus Ruehle Borussus Gedani, in urbe Borussiae occidentalis, die XIX mensis Octobri anni 1887, patre Paulo, matre Gertrud e gente Hevelke. Patrem gymnasii magistrum matura morte mihi ereptum esse doleo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Gedanense quod dicitur Städtisches Gymnasium frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1907 Berolinum me contuli ubi per unum semestre studiis theologicis, deinde per ter sex menses studiis philologis et germanicis me dedidi. Vere anni 1909 Marpurgi quo me ad perficienda studia contuleram civibus academicis adscriptus sum. Ibi usque ad examen pro facultate docendi quod sustinui die VII mensis Decembri anni 1912 in litterarum studiis versatus sum. Examen rigorosum superavi die XXVI mensis Februarii anni 1913.

Docuerunt me viri doctissimi:

Berolinenses: Diels, Gressmann, Helm, Herrmann. Küchler, Lasson, R. M. Meyer, N. Müller †, Norden, Riehl, Roethe, E. Schmidt, B. Weiss, de Wilamowitz-Moellendorf, Wölfflin.

Marpurgenses: Birt, Elster, Heitmüller, Jensen, Kalbfleisch, E. Maass, Natorp, Schücking, Thiele, Vogt.

Per tria semestria frequentavi proseminarium philologum Berolinense. Ut quater sex menses seminarii philologi Marpurgensis sodalis essem, humanitate effectum est Birtii, Kalbfleischii, Maassii directorum. Praeterea Natorp me exercitationibus philosophicis benigne admisit.

Quibus viris doctissimis omnibus gratias ago semperque agam quam maximas, inprimis Theodoro Birtio qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit neque opera consilioque adiuvare destiterit.